C. Moritz

De Iliadis l. IX supp. ca

Zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Posen,

welche

Dienstag den 12. April 1859

stattfindet,

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. J. Marquardt,
Director.

POSEN,
gedruckt in der Königlichen Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

De Homericorum carminum origine et compositione quam Frid. Aug. Wolfius celebratissimo Prolegomenon libro quaestionem inchoavit, eam hodie inter viros doctos fere constat ab argumentis testium fide et auctoritate nixis revocatam ipsorum carminum pervestigatione esse absolvendam. Jam qui hac via inita primus non haec illa vel inter se pugnantia demonstrare vel ut spuria ejicere sed totam Iliadem dissolvere conatus est in diversa illa diversorum poetarum carmina, e quibus eam censeret compositam, Lachmannum id certe assecutum esse, ut carmina olim singularia sub hac Iliadis compage latere efficeret eaque plura, quam superioribus placuisset, hoc illi, nisi animus caeco tradita conservandi studio teneatur, facile, ut opinor, dabimus acceptumque referemus. Sed singula quaeque, quae vir summus statuit, ut vel plurium assensione comprobentur, tantum abest, ut non solum adversarii omni ope atque opera enixi audaciae ejus obviam iverint, sed etiam ex iis, qui ipsius sequuntur signa, extiterint, qui disputationes ejus iterum examinandas, emendandas, perficiendas, denique omnem quaestionem via quidem et ratione Lachmanni exemplo illustrata retractandam sibi sumerent. His vero quid propositum fuerit quum dixi, significavi idem, quo ipse consilio scripserim, quae infra de l. IX. Iliadis proponam, desumpta ea e majore dissertatione, qua ll. Iliadis VIII—IX, XI—XVII vel XVIII complexurus sum. E quibus quod rhapsodiam nonam elegi, de qua hac data occasione agerem, feci propterea, quod a Lachmanno aliisque neglectum videbam librum maximam partem lectu jucundissimum, eundem vero non leviter interpolationibus contaminatum, quibus detegendis et iis qui oblectationis causa Homerum adirent et criticis aeque gratum me facturum sperabam.

Jam ut ipsam rem aggrediamur, maxime interpolatorum importunam sedulitatem sensisse videtur Phoenicis oratio (434 sqq.), quam duabus levandam censebimus, quae insunt, narrationibus, quarum altera de sua e patria fuga exponit Phoenix, altera de Meleagro ira quondam implacabili capto. Cujus senten-

tiae in causis quum hanc allaturi simus, quod quos diximus loci non unam in partem hoc poeta indigni videantur, non abs re erit, quantum is quum omnino vel arte vel ingenio valeat, tum certis quibusdam in generibus excellat, paucis antea explicare. Utemur autem ejus partis exemplo, quae, si qua alia, ipsius *Λιτῶν* auctoris sine ulla controversia fuit: orationem dicimus ejus, qui legationi praeest, Ulyssis, et responsum Achillis vv. 225—306, 308—429. Jam primum harum orationum praestantiam merito et veteres admirati sunt[1]) et his temporibus contra iniquius, quod Lachmannus de omni l. IX judicium tulerat[2]), suis testimoniis tuiti sunt Hoffmannus[3]) et Koechly[4]), quorum laudes quin hanc potissimum l. IX partem spectent, intelligentium nemo dubitabit. Addendus his est Geppertus[5]), qui de Ulyssis certe oratione pluribus disserens varias virtutes ejus satis recte jam definivit. Atque ab elocutione quantopere locus placeat, qui legent, ipsi facile sentient. Duo tamen nominatim nobis sunt praedicanda, lux et perspicuitas orationis flumenque et copia, quae quum ipsis verbis mirum quantam addant vim, ei, qui alteri persuadere velit, inprimis conveniunt. Paulo pluribus nobis commorandum est in inveniendi et disponendi arte, qua eum in modum insignis est Ulyssis oratio, vix ut possit cogitari his nominibus perfectior. Orsus enim ab eo, quod tum agitur, a convivio, statim facillimo transitu ad discrimen in quo versentur Graeci pervenit, quo copiose, graviter, miserabiliter descripto (229—246) Achillem, si omnino de ope ferenda cogitet, tunc ad pugnandum se accingere jubet, amplius, usque dum serum sit, dilatae opis ipsum ut poeniteat fore significans. In quo inest jam ut omnino auxilium Achillis imploret. Sed quo certius pertinaciam ejus expugnet, porro praecepti eum admonet, quo pater in Troadem proectfurum ad insolentiam animi compescendam (rixarumque deponendam cupiditatem) hortatus sit. Ita patris auctoritate adhibita postquam suo quoque nomine Achillem, ut remitteret iram, rogavit, quam hoc sine ulla existimationis et dignitatis jactura facturus sit (*ἄξια* 261), eundem docet conditionum, quas Agamemno ferat, honorificentissimarum enumeratione (262 – 299). Sed non ignorans ferox Achillis ingenium (*εἰ δέ τοι Ἀτρείδης μὲν ἀπήχθετο κηρόθι μᾶλλον, αὐτὸς καὶ τοῦ δῶρα* 300 sq.) jam ad Graecorum res revertitur, horum certe ut misereat illum orans, postremoque per summae observantiae mentionem, qua periculi depulsorem Graeci prosecuturi sint, eleganter facto transitu juvenem laudis avidissimum quum aliis illecebris (*ἐπεὶ οὔτινά φησιν ὁμοῖον οἷ ἔμεναι Δαναῶν, οὓς ἐνθάδε νῆες ἔνειχαν* 305 sq.) tum Hectoris occidendi spe tunc, quam unquam antea fuerit, certiore suas in partes conatur traducere (303—306).

Intelligitur ex his et aptissima esse atque ex parte callide excogitata (252—258, 304—306), quibus orator ad persuadendum utitur, et optime disposita, eademque uno excepto loco, ubi major vis est asyntheti (252), egregie inter se nexa ac vincta. Adde quod rursus ne desunt quidem, quae majoris momenti sunt, quin eadem in futuros legationis sociorum, Phoenicis et Ajacis, usus rectius reponantur. Nam illa, quibus Phoenix a precibus superbe aspernandis Achillem dehortatur (496—514), patet seni et qui

---

[1]) Scholl. Bekk. plurimis locis inde a v. 225. Eust. p. 731, 20—22 Rom. p. 760, 60 sqq. al. cf. Heynii Observ. ad. v. 308.

[2]) Betrachtungen über Homers Ilias von Karl Lachmann. mit zusätzen von Moritz Haupt, pag. 26 sq.

[3]) Philol. III, 2, pag. 218.

[4]) De Iliadis carminibus dissert. III. Turici 1857, pag. 8, 2.

[5]) Ueber den ursprung der Homerischen gesänge. Leipzig. Weigel. 1840. I, p. 191.

custos illi et moderator adolescentiae fuerit (438—443) magis quam Ulyssis personae convenire. Similiter quod idem Achillem obsecrat, ut ne precibus suis repudiandis ignominia afficiat homines sibi carissimos (521—523), quodque Ajax et ipse legatorum preces Achilli commendaturus ad jus hospitii provocat (640—642) perspicuum est haec extrinsecus adscita esse ad ipsamque causam minus pertinere, rectissime igitur tum demum adhiberi, quum, quae ad illam attinent, ab Ulysse frustra sunt explicata. Sapienter denique etiam hoc est institutum, quod ipsius injuriae Achilli illatae ne mentionem quidem usquam Ulysses facit omninoque orsus a Graecorum rebus (229—251) et rediens ad easdem (300—303) de Agamemnone non pluribus interpositis, quam necesse erat ([252—259] 260—299), per omnem orationem non tam hujus causam agit, inimici merito invisi, quam reliquorum, qui peccaverint nihil.

Egregia est igitur sine dubio haec Ulyssis oratio, sed magis etiam Achillis nitet responsum, insigne illud inprimis summa affectuum imitandorum arte. Quare si Ulyssis orationem cum amne comparare licet pleno quidem alveo, sed tamen aequabili flumine decurrente, Achillis contra oratio mari turbido similior est modo hic modo illic undis spumantibus assurgenti. Ac praeclare ante omnia odii, quo in Agamemnonem Achilles ardet, acerbitatem iramque aestuantem poeta expressit non solum ipsis, quibus ille utitur, verbis sententiisque comminutis et concisis (369—377), sed etiam hoc, quod eum identidem nec sine calliditate aliquoties (364—367) in injuriae acceptae memoriam facit recidentem: 335—37, 344—45, 367—369, 369—373, 375—377, 378, 387, 392 omninoque 378—392. Splendet autem oratio alius quoque generis luminibus non paucis, velut ingeniosa castrorum frustra munitorum irrisione, quae est 346—350 (attende enim ad vv. 346—47 conferendos cum *νόσφιν ἐμεῖο* 348) egregiaque Agamemnonis imperii sui dignitatem jactantis cavillatione (392); cui loco novum decus hoc accedit, quod eo non quidem Achilles, at poeta ad superius quoddam Agamemnonis dictum respicit (v. 160). Adde huc praeclare adumbrata, summam constantiam Achillis et incorruptum veritatis studium (309—311, 312—313), porro ejusdem in sua salute communi posthabenda magnitudinem animi (321—326), in praeda reddenda abstinentiam (331), in amore candorem (341—343). Denique sollertiae ingenii et subtilitatis, quae in hoc poeta fuerunt, eximium specimen exstant vv. 335—343, qui locus quum verbis magna arte adornatus [1]), tum sententiae acumine [2]) eum in modum insignis, ut pauca apud Homerum reperias similia, profecto Euripideam disserendi artem non dedeceret.

Quos laudavimus loci in priore parte orationis (308—392) continentur omnes; nam reliqua (393—429), quamquam minime languent, illo tamen genere luminum carent recte, quod effusis in Agamemnonem ira sua et furore inde a v. 393 sedatiore Achilles loquitur animo. In universum autem aestimanti hoc jam non dubium fore confidimus, quin, qui has Ulyssis et Achillis orationes composuit, acumine ingenii, judicii elegantia, vi, copia, suavitate dicendi Homericorum poetarum

---

[1]) Attende ad crebrum interrogationum rhetoricarum usum 337, 338, 339, 340, ad eandem rem exaggerandi causa variis modis bis dictam (*τί δὲ* — *Ἀτρεΐδης* 337—339), ad *ἄλοχος*, quo vocabulo omnis ratiocinationis aculei et virus continentur (340, cf. 342 sq.), de Briseide concubina v. 336, item ad pluralem *Ἀτρεΐδαι* et *ἀλόχους* 341, 340 simili consilio pro singulari callide posita, denique ad Briseidis ipsum nomen suavissima rerum veritatis imitatione plane omissum.

[2]) Sententia est: Eripuit mihi (uxorem) — Quamquam cur tandem ipsum bellum susceptum est, nisi ut Helenam Atridis ereptam recuperemus? — An rursus soli illi uxoribus sibi ereptis dolent, non item ego?

cedat nemini neque omnino in mediocribus poetis numerandus sit, sed in summis. Quodsi his ipsis in orationibus pauca, quae eadem abesse facile possunt, molesta reperiuntur velut vv. 327, 383 sq., 416, illa ab interpolatoribus, a quibus quin carmina Homerica plurimis locis inquinarentur, fieri plane non potuit, quam ab ipso repeti poeta elegantissimo praestare patet. Redibimus ad haec infra.

Convertimus nos jam ad eos locos, quos insiticios censemus, in iisque primum de duobus illis agemus, quos in Phoenicis oratione inesse supra jam indicavimus. Ac posteriorem, quo de Meleagro quondam ira capto Phoenix narrat (529—599), variis modis viri docti jam tentaverunt; e quibus Gepperto [1]) animus eo inclinabat, ut ipsam narrationem totam judicaret spuriam, Friedlaenderus [2]) certi nihil affirmabat, Nitzschius [3]) mediam quandam partem ejecit. Laborat autem hic locus revera tot tantisque vitiis, ut qui perspectum habeat, quanta arte fuerit is, qui orationes Ulyssis et Achillis composuit, ab eodem illum talem, qualis nunc habeatur, proficisci non potuisse causa cognita facile, ut spero, sit intellecturus. Quamquam hac re concessa plane diversa quaestio restabit haec, utrum eum resecare totum an cum Nitzschio fere primarias ejus partes tueri praestet.

Videamus igitur primum, ipsa narratio quam sit incondita, obscura, manca atque imperfecta, denique ne sibi constans quidem. Notavit multa, quae huc spectant, jam Geppertus, sed is vera falsa, certa incerta eum in modum miscens, ut nostram ab illius causa plane sejungere malimus quam de paucis ad eum provocare, de pluribus cum eodem disceptare. Exponere igitur voluit, sive is poeta fuit, sive interpolator, siquidem unius esse omnem hanc partem in praesentia statuimus, exponere, inquam, voluit sive Phoenicem narrantem inducere rem satis simplicem. Dianam ab Oeneo, qui Calydone regnaret, in sacris faciundis neglectam aprum ingentis magnitudinis (Calydonium quem vulgo vocant) in agros illius immisisse. Quem ubi Meleager filius regis quum aliorum adjutus auxilio tum Curetum h. e. urbis Pleuronis incolarum confecisset, de capite et pelle ejus, praemiis victori propositis, contentionem, quin etiam bellum inter Curetes et Aetolos, h. e. inter Pleuronios et Calydonios, exarsisse. Ac primo quidem quamdiu Meleager Calydonem a Curetibus obsessam defenderet, hos vix ac ne vix quidem sustinuisse hostium eruptiones. Fuisse autem in Curetum numero fratrem Althaeae, matris Meleagri, Thestii regis Pleuroniorum filiae. Quem quum Meleager in bello (sic nunc certe statuendum est) occidisset, Althaeam mortem filio imprecatam esse, hunc autem succensentem a belli se societate sejunxisse et in penetralia aedium abdidisse. Extemplo conversa belli fortuna compulsos esse ab hostibus in moenia Calydonios urbemque ab illis oppugnatam. Jam legatos publice missos, qui Meleagrum ad patriam defendendam precibus maximique promissione praemii permoverent, sed frustra. Frustra eidem patrem, sorores [4]), frustra ipsam, quae detestata esset, matrem, frustra carissimos amicos supplicasse, nec prius illum hostibus se objecisse, quam ipsius thalamus telis percuteretur, in eoque jam res esset, ut Curetes moenia ascenderent urbemque inflammarent. Tum demum Meleagrum precibus Cleopatrae uxoris impulsum arma cepisse et pellendis hostibus urbem ab excidio vindicasse. Sed quia ratione suae tantum salutis habita, nulla civium

[1]) I p. 245—248.
[2]) Philol. IV, 4 p. 583—584.
[3]) Die sagenpoesie der Griechen. Braunschweig, Schwetschke & sohn, I p. 147—148.
[4]) *κασίγνηται* enim, non *κασίγνητοι* Aristarcho probabatur. v. schol. A ad v. 584.

ad certamen descendisset, promissa ei jam non persoluta esse dona, ut ex patria suo beneficio conservata fructum ferret nullum.

Jam haec quo ordine narrantur? Orditur poeta, credo, in medias res rapturus auditores, a Curetibus Calydonem oppugnantibus. Ecce autem, non potest hinc ne paululum quidem deduci filum. Relinquit igitur rursus viam vixdum initam deflectitque narrationem ad primum initium rei gestae, hoc est ad aprum Calydonium a Diana in agros Oenei immissum a Meleagro autem interemptum, unde ad bellum de pelle et capite ejus inter venationis socios ortum, primo Curetibus male cedens pervenit. Recte. Jam vero quum hinc ad fratrem Althaeae in bello, ut statuendum est, a Meleagro occisum, inde ad ipsum Meleagrum a matre inferis devotum, post ad desidiam succensentis pergendum esset, ille potius neglectis aliis omnibus illico ad hanc ipsam iram Meleagri desidiamque festinat, cujus causam usque eo ne divinamus quidem, iterum quae suo loco perperam erant praetermissa allaturus infra. Sed cohibeat morae impatientiam Achilles (huic enim narrat)! cohibeant lectores! Satis est in praesentia accepisse, matri Meleagrum succensuisse. Cur succensuerit, ut discamus, non opus est properato. Scilicet pluris interest de Cleopatra, uxore Meleagri, hac data occasione quaedam interponi; docemur igitur pressius quidem et obscurius, sed tamen non minus octo versibus de patre ejus, de matre, de certamine a patre cum Apolline olim ad sponsam (vel uxorem?[1]) deo eripiendam inito, de Alcyones cognomine Cleopatrae inde addito; quid multa? accipimus alia potius omnia, quae ad rem nihil, quam illud levissimum sane, quid tantopere bilem Meleagro moverit, ut ab hostibus obsessos desereret cives suos. Sero tandem jamjam obtuso desiderio satisfit. Sed vix de matre filium propter fratrem occisum exsecrata expositum est, quum continuo vasto narrationis hiatu ex victis victores facti Curetes Calydonem oppugnant, desidia Meleagri, tantae causa fortunae conversionis, quo in memoriam revocaretur auditoribus, ne verbo quidem interposito. Inde demum singula recte inter se excipiunt unoque tenore ad finem pervenitur.

Accedit ad hanc perversam rerum dispositionem mira verborum obscuritas vv. 533, 561, 552. Primo loco versibus *Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι | ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον, | Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς, | Κουρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες Ἄρηι* continuat poeta *καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσεν κτὲ.* Utris vero, siquidem praecipue dictum est de neutris? Itaque ad Aetolos pronomen spectare ex Oenei demum mentione altero inde versu facta est colligendum. Vehementius etiam displicet *τὴν* v. 561 non ad eam quae proxime praegresso versu commemorata est Marpessam, sed ad Cleopatram referendum quinto versu ante (556) nominatam. At vero hanc poetae mentem fuisse omnibus diligenter recognitis iterum ex sequentibus demum perspicis (562—564).

Simili obscuritate laborant vv. 550—552. Etenim de bello inter Aetolos et Curetes orto postquam poeta alias, ut vidimus, non nimis pressus non tam dixit quam tacuit, illis versibus sic pergit: *ὄφρα μὲν οὖν Μελέαγρος ἀρηίφιλος πολέμιζεν, τόφρα δὲ Κουρήτεσσι κακῶς ἦν, οὐδὲ δύναντο τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν πολέες περ ἐόντες.* Jam quum statim initio narratum sit Calydonem a Curetibus olim vel obsessam vel oppugnatam fuisse, consentaneum videtur hos versus de ipsa Calydone a Curetibus obsessa, a Meleagro autem

[1]) v. Heynii not. ad 552—60. I, p. 511. observ. ad vv. 557, 558. V, p. 659.

defensa accipere [1]). Ut sensus sit, quamdiu Meleager inter defensores pugnaret, Curetes *ante* Calydonem non sustinuisse, h. e. quotiescunque ad urbem oppugnandam successissent, eruptione a Calydoniis facta pulsos esse. Sed sic inepte dictum esse patet *τείχεος* (int. Calydonis) *ἔκτοσθεν*; quasi Curetes quum extra moenia hostium non sustinerent, intra illa sint compulsi. Quam ob causam Koeppenius [2]), Heynius [3]), Friedlaenderus [4]) revera non de Calydone, sed inversa re de Pleurone Curetum urbe a Calydoniis obsessa locum interpretati sunt, ut Friedlaenderus quidem totam narrationem foede turbatam esse statueret, reliqui duo quinque verbis *οὐδὲ δύναντο τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν* indicatum putarent ‚Meleagrum' (primo) — Heynii utor verbis — in patria defendenda ‚tantis cladibus affecisse Curetes obsessores, ut intra suae urbis (Pleuronis) moenia se reciperent *et in his se tenerent.*' Quod si ipse poeta voluit, profecto prorsus inepta usus est brevitate. Itaque quocunque te vertis, haeret huic loco insignis aut negligentiae aut infantiae crimen, quod ne duplici quidem Nitzschii conjectura plane amovetur. Nam in altera *οὐδ' ἐδύναντο τείχεος ἔκτοσθέν ἑ* (int. Meleagrum) *μένειν* hoc *ἔκτοσθεν* manet ineptum; quasi enim intra moenia hostium illum sustinere potuerint! Sanum a sententia esset, etsi verborum ornatu egeret, *τείχεος ἐξελθόντα μένειν*. In altera vero *τείχεος ἐκτὸς ἐόντα μένειν* friget voc. *ἐόντα,* cujus loco sermo Homericus minimum *μαρνάμενον* vel simile aliquid requirebat.

Ad novum genus vitiorum ducimur versibus, qui proxime praecedunt, 547—49: *ἡ δ' ἀμφ' αὐτῷ θῆκε πολὺν κέλαδον καὶ ἀυτήν, | ἀμφὶ συὸς κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι, Κουρήτων τε μεσηγὺ καὶ Αἰτωλῶν μεγαθύμων.* Vertunt Clarkius et interpres ed. Didot.: ‚Illa vero — excitavit magnum tumultum et — bellum,' id quod patrio sermone fere sonat: *Sie aber erregte viel lärm* vel *ein grosses getöse und — krieg.* Quae, obsecro, loquendi ratio! quum indicandum esset Dianam magnam *contentionem* de apri exuviis excitasse, *unde ad justum bellum rem deductam esse*, dicendum igitur aut: illam *contentionem* et *porro* bellum vel contentionem atque *adeo* bellum aut summatim: Dianam de apri pelle et capite *cruenta proelia bellumque* (*μάχας τ' ἀνδροκτασίας τε H,* 237 all.) civisse. Quod si recte interpretes, iterum illam, quae jam v. 552 (*τείχεος ἔκτοσθεν*) notanda erat, infantiam deprehendimus. Sed utinam saltem adesset nomen belli! At adest non belli, sed *ἀυτῆς*, quod vocabulum quamquam saepenumero bellicum clamorem itaque per synecdochen ipsum bellum significat, tamen nisi addito vel *πόλεμος* vel *μάχη* vel *ἔρις* aliis ejusmodi vocabulis ista cum potestate poni non solet, nisi quum ex universo nexu de bellico illud clamore itaque de ipso bello accipiendum esse satis elucet. Hoc vero loco ab eo inde versu, quo rem ordine narrare poeta coepit 533 usque ad v. 546 non de bello sed de venatione Calydonia expositum est, quam ortis inter venationis socios contentione inimicitiisque bellum Curetum et Aetolorum excepisse antequam perspicuis verbis docti simus, id quod quidem hoc ipso loco fieri debebat, bellicarum rerum omnino non venit in mentem, ergo ne *ἀυτήν* quidem de bellico clamore vel de bello sed simpliciter de quovis clamore vel potius memores v. 534 (*τὸν — ἀπέκτεινεν*) de rixantium vociferatione intelligimus. Quae quum ita sint non sufficit hoc loco, quippe quo ad rem prorsus novam narratio progrediatur, vocabu-

---

[1]) cf. Nitzschius sagenpoesie I, p. 147, 148. Faesius ad v. 551 sq.

[2]) Anmerkungen zum Homer, ad IX. 548.

[3]) ad v. 546 I, p. 509 sq. observ. ad 548. V, p. 656, 657.

[4]) Philol. IV. 4. p. 583.

lum ambiguae significationis nec per se, sed aliorum demum ope bellum declarans; sufficit eo minus, quod additum est *κέλαδος*, vocabulum ad res bellicas omnino non spectans (cf. *Ἄρτεμις κελαδεινή*) ac ne contentionem quidem significans [1]), quod ut intellectum juvet, tantum abest, ut impediat. Assentior igitur Vossio ‚*Artemis aber erregt' ein grosses getös' und getümmel*' vertenti concedoque videri poetam *ἀυτήν* simili sensu posuisse ac *κέλαδον* (‚tumultum') de rixantium et, si ita vis, manum conserentium vociferatione, ut conjunctis *πολὺν κέλαδον* et *ἀυτήν* nihil nisi contentionem et fortasse subitum proelium notare vellet, quae inter Curetes et Aetolos in ipsa venatione dea irata excitasset. Sed sic ubinam indicatum est a contentione ad justum bellum perventum et Calydonem a Curetibus obsessam esse? Ergo hoc plane deest, quum nullo modo debeat, nam quod supra 529—532 *extra ordinem narrationis* tanquam tituli loco de Calydone olim a Curetibus obsessa dictum erat, ideo non licebat istud suo loco in ipsa singulorum, ut ordine gesta essent, expositione silentio praeterire. Multo minus a poeta est explicatum, qui porro factum esset, ut duorum populorum, inter quos bellum exarserat, non Pleuronii a Calydoniis, sed Calydonii a Pleuroniis obsidione premerentur; quamquam per se illud non minus poterat fieri, quam hoc.

Peccatum est autem non hoc uno in eam partem, ut, dum prorsus inutilia et molesta (557—64) admiscebantur, rursus omitterentur, quae vel perspicuitatis vel absolvendae narrationis causa addi oportebat. Nam etiam, quae avunculi [2]) a Meleagro interfecti esset ratio, plane ignorari poeta voluit, neque cujas ille esset docens, neque cur a Meleagro occisus, neque quomodo. Diximus nos quidam supra in summa totius loci explicanda fuisse hunc Meleagri avunculum Althaeae fratrem, regis Curetum filium et occisum esse in ipso bello, sed hoc alterum cum Welckero [3]) conjectura nobis colligendum erat, prius e vulgari rerum Meleagri memoria ceterum Homericis dissimillima adsciscendum. Poeta silentio suo his omnibus atras tenebras obduxit.

Ad idem genus altera certe ex parte spectat, quod de Meleagro subita morte absumpto non traditur. Nam quum Althaea mortem filio imprecata esse narretur 566—571, Furiam autem ‚immite cor habentem' preces audivisse data opera addatur 571—572, quid aliud statuamus, nisi intelligi velle poetam eventum illas habuisse hoc est Meleagrum repentina morte extinctum esse. Nam *κλύειν* (572) etsi per se quidem (vel ipso hoc loco) nihil aliud declarat nisi audire vel auscultare, usus tamen ejus verbi Homericus is est, ut, quum de precationibus vel auditis vel audiendis ponitur, in universa formula vis insit exaudiendi: *Α*, 37. 43. 218. 451. 453. 457. *Ε*, 121. *Ι*, 509. *Κ*, 278. 284. 295. *Ν*, 303. *Ξ*, 234. *Π*, 236. 514. 527. *Ψ*, 770. 771. *Ω*, 314 (335). *β*, 262. *δ*, 762, 767, *ε*, 445. *ζ*, 324. (328 cl. *η*, 14 sqq.) *ι*, 528. 536. *υ*. 102. Non obstant propter diversam rei, quae agitur, rationem haec: *Α*, 357. *γ*, 385. *κ*, 481. Atque adeo unus qui adversari nobis possit videri locus *Π*, 249 potius favet. Quo quum inter audiendum et exaudiendum distinguendum esset, id ipsum renuisse deum precibus vel potius precum parti, con-

---

[1]) Cave enim de ipsa pugna accipias voc. *κέλαδον* *Σ*, 530. *οἱ δ' ὡς οὖν ἐπύθοντο πολὺν κέλαδον παρὰ βουσίν*, cujus loci ad exemplum hunc l. IX versum confectum crediderim. Nihil ibi *κέλαδος* est nisi tumultus ex repentina hostium incursione, pecoribus abigendis, pastoribus occidendis ortus.

[2]) Vel avunculorum? Fuerunt enim qui *κασιγνήτοιο* v. 567 pro *κασιγνητικοῦ* positum statuerent, v. schol. A. AB. L. DL. ad v. 557.

[3]) Die griech. tragödien mit rücksicht auf den epischen cyclus geordnet, I, p. 22. II, 756 not.

tinuo additum est: *ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δὲ κλύε μητιέτα Ζεύς. τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.* Licet igitur non solum per sermonem Homericum, sed etiam postulat is, ut illum quoque locum (I, 571—572) de exauditis diris matris precibus accipiamus, praesertim quum alioquin illa ipsa (*τῆς* — *ἔχουσα*) non possent non videri otiosissime subjecta. Accedit huc tertium quiddam. Etenim quae de Calydonia venatione deque exsecrata propter fratrem occisum Althaea filium poeta narrantem fecit Phoenicem, ex momoria antiquitatis repetita esse patet. Jam ponas traditum fuisse fama de Meleagro devoto quidem a matre sed frustra, haec irrita matris exsecratio ex priscorum hominum sensu quid, quaeso, fuisset rei? Nec vero inania et vana in fabulis antiquissimis solent deprehendi. Ergo famam vel ob eam causam statuere debemus fuisse hanc ut preces matris eventum habuisse perhiberentur. Jam fac poetam consulto ab eo, quod vulgo credebatur, discedentem matris exsecrationem irritam finxisse, nonne sic multo etiam ineptius addidisset *τῆς δ' ἠεροφοῖτις ἐρινύς | ἔκλυεν ἐξ ἐρέβεσφιν, ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσα,* quibus futurum fuit, ut, quod ferebatur, non videretur negare, sed affirmare?

Quae quum ita sint, qui vv. 571—572 composuit, quin ratas fuisse voluerit Althaeae preces, mihi quidem non est dubium. Nec video praeter Heynium (observ. ad 567), qui tamen sibi ipse parum constat (vide notam ad 564—68), interpretes sive quos alios inspicere nunc ipsum licet dissentire, immo multos nobiscum facere: Eust. p. 775, 4 sqq. ‚*ὅτι δὲ καὶ ἠνύσθησαν αἱ τῆς μητρὸς ἀραὶ, ἡ παλαιὰ ἱστορία δηλοῖ. ὡς γὰρ πρὸ ὀλίγων ἡ τοῦ Ἀμύντορος ἀρὰ ἐπὶ τῷ Φοίνικι οὐ διέπεσεν* (vv. 454—457), *οὕτως οὐδὲ ἡ μητρικὴ κατὰ τοῦ Μελεάγρου, διδάσκοντος καὶ οὕτω τοῦ ποιητοῦ εὐαρεστεῖν τοῖς τοκεῦσι.*‘ Similiter Damminus sub *ἀρά*: ‚*et hae dirae imprecationes maternae effectum suum habuerunt; nam Meleager juvenis est mortuus. Titionem illum, quem Ovidius narrat, ex recentiorum Graecorum commentis ignoravit Homerus, docet ergo hôc exemplo, εὐαρεστεῖν τοῖς τοκεῦσι, ut sic agant liberi, ut placeant parentibus suis, sic paternae preces hostiles in Phoenicem, I,* 453 *sqq. non fuere irritae.*‘ Koeppenius ad v. 565: *Die erzählung wird dadurch, dass Homer wider seine gewohnheit, nur abgebrochen erzählt, dunkel. die erbitterte mutter fordert ihres sohnes tod von dem regenten der todten. kaum hört es die Erinnys, deren pflicht es ist, das unrecht zu ahnden, was kinder den aeltern zufügen, als sie zum Hades eilt und mit seiner bewilligung nun auf die oberwelt, um die rache zu vollziehen, geht. aber die art, wie sie diese vollzog, erzählte er nicht.*‘ Ernestius et interpres ed. Didot.: ‚*Erinnys (Furia) exaudivit ex Erebo.*‘ Item Faesius ad 532: ‚*und die Erinys erhörte ihren fluch.*‘ Heynius in notis l. l.: ‚*Auditis Diris mox ad eas exsequendas procedit locis inferis Erinnys....*‘ Quid? quod Pausanias (X. 31. 2.) memoria lapsus adeo narrari apud Homerum refert Meleagrum ex exsecratione matris interiisse: ‚*Ἐς δὲ τοῦ Μελεάγρου τὴν τελευτὴν Ὁμήρῳ μέν ἐστιν εἰρημένα ὡς ἡ Ἐρινὺς καταρῶν ἀκούσαι τῶν Ἀλθαίας καὶ ἀποθάνοι κατὰ ταύτην ὁ Μελέαγρος τὴν αἰτίαν.*‘ Denique Welckerum quoque, quum vv. 598—599 mortem Meleagri ab Homero indicatam statuit *griech. trag. I, p.* 22, per se intelligitur illum nullam aliam ob causam periisse putare nisi ob eam ipsam, quod a matre devotus esset.

Jure igitur nostro statuere nobis videmur velle poetam Althaeae exsecrationem ratam, extinctum igitur repentina morte Meleagrum revera. Nihilominus factum id esse nusquam tradidit; quin immo reliqua narratio, quominus illud nobis persuadeamus, obstat. Quid enim? Quum non potuerit in dubio relinqui, naturaline moriendi necessitate an ex diris matris precibus Meleager interiisset, necesse est statuere

credidisse Graecos brevissimo post ipsam exsecrationem tempore illum periisse. Quod quum ita sit, in hac narratione nihil aliud datur, nisi ut pepulisse quidem Meleagrum hostes ex urbe putemus (v. 597), sed aut in pellendis ipsum proeliantem occubuisse, aut continuo post nescio quo casu extinctum esse. Ac priore modo Homerum revera interpretatus est Welckerus[1]). At qui conveniunt postrema: *τῷ δ' οὐκέτι δῶρα τέλεσσαν πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτως* (598—599)? Quando enim poeta praemia promissa ei persoluta esse negat? Antequam ad pugnandum proficisceretur? At tunc qui illud poterat fieri tantum non incensa et capta urbe (588—589)? maxime quum primarium donum quinquaginta jugerum agro contineretur, quem ipse Meleager eligeret sibi assignandum (576—580). An propterea non data putemus, quod in proelio cecidisset? At vero hoc sic per se intelligebatur, ut illo sensu ista non possent addi nisi absurdissime; nisi forte statuendum est interiisse Meleagrum in patria defendenda illis ipsis verbis *τῷ δ' οὐκέτι δῶρα τέλεσσαν πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτως* poetam indicare voluisse. Quod quum Welckerus statuerit (‚*Den tod des helden.... deutet Homer nur an, indem er die art des todes oder den ausgang der sage rührend verschweigt. Τῷ δ' οὐκέτι* sqq. — *καὶ αὔτως*‘ [2]), primum ista animi mollities et omne illiusmodi tecte dicendi genus ab Homerici aevi nativa simplicitate abhorrent; deinde vero alio sensu, et eo quidem, quem verba prae se ferunt, a poeta haec posita esse perspicuum est ex iis, quae continuo subjiciuntur vv. 600—605. Quibus a recusando auxilio Achillem dehortans quum eo Phoenix utatur argumento, quod, si opem tunc quum precibus donisque expeteretur recusatam postea ultro tulerit, non jam in pari honore et existimatione apud Graecos futurus sit: sequitur mentem ejus esse ipsum Meleagrum propter auxilium sero latum postea in minore apud cives suos honore fuisse. Nam eo ipso consilio, exemplo illius ut ab ope rogantibus deneganda Achillem absterreat, omnem hanc narrationem affert. Quod propositum prorsus ineptum foret, nisi, quod Achilli verendum esse ait, *si* rogantibus auxilium deneget, idem, *quia* denegasset, accidisse vellet revera ei, a quo exemplum sumpsit. Alioquin, obsecro, quid hoc haberet, quo Achilles terreretur? Ergo id quidem negari nequit sensum verborum non alium esse debere nisi hunc, non persolvisse patriae vindici cives dona antea promissa non, quod non possent, sed quod nollent, patiendamque fuisse Meleagro hoc ipso illam dignitatis deminutionem, qualis ne Achilli futura sit Phoenix metuit. Atqui talis dignitatis deminutio non in mortuum cadit, sed in vivum. Ut qui vv. 598—599 fecit, reperiatur patriae conservatae superstitem fecisse et diutius quidem superstitem eundem, quem propter vv. 571—572 statuendum erat aut in ipsa defendenda Calydone aut certe brevissimo post tempore interiisse.

Similiter inter se pugnant vv. 566—571 et 584. nam priore loco postquam de Althaea filio mortem imprecata copiosissime egit poeta, altero (584) idem rursus eandem inter eos recenset, qui auxilium Meleagri imploraverint de mutata mente ne verbo quidem interposito[3]). Levior his sed tamen notanda illa est discrepantia, qua de praemiis Meleagro promissis vv. 576—580 et 598—599 inter se dissident; quorum prioribus de uno dono agri quinquaginta jugerum Meleagro assignandi traditur, posterioribus de multis. Quae dissensio quamquam,

[1]) Griech. trag. I, p. 22: ‚*Da bei Homer der held im kampfe stirbt, nachdem er Calydon gerettet....*‘

[2]) Griech. trag. ibid.

[3]) cf. Friedlaender. Phil. IV. 4. p. 583 sq.

si rem tantummodo spectamus, facile ita tollitur, ut praeter illam agri assignationem multa alia eaque minora dona promissa statuamus, tamen ejus ipsius rei patet c. vv. 576—580 fieri debuisse mentionem.

Deprehendimus satis multa, quae in hac narratione peccata essent: perversum rerum ordinem, obscuram interdum elocutionem, omissa, quae addi, addita, quae omitti oporteret, denique ne deerant quidem, quae inter se male convenirent. Quae quum ita sint, quibus probavimus summum utique in orationibus Ulyssis et Achillis cerni poetam eumque quum aliis in generibus tum in his ipsis fere, a quibus hic locus tam vehementer displicet, eximium — agnoscebamus enim admirabilem in disponendo artem et consilium, in elocutione perspicuitatem, suavitatem, facilitatem, in delectu eorum, quae vel afferenda vel omittenda essent, judicii elegantiam — ii igitur non dubitamus quin facile sint perspecturi non potuisse ab eodem illo hanc partem tot, tantis, talibus vitiis laborantem proficisci, nisi forte is subito sui dissimillimus, vel potius plane alius factus sit. Negat quidem Friedlaenderus [1]) recte licitum esse solo ex eo, quod alius alii locus virtute poetica cedat, continuo de diversa utriusque origine concludere, nisi quidem nimium quantum intersit, sed in hac causa id ipsum putamus accidisse. Sed intellexerint fortasse jam, qui attentius superiora legerint, esse hanc partem ita comparatam, temere ut facturi simus, si eam continuo ut hoc poeta indignam improbemus totam. Nam quae male in eo se habere modo ostendimus, eorum bona pars eximendis solis vv. 557—572 de medio tolli potest. Namque his ejectis sublata erit primum inutilissima digressio vv. 557—564 [a] cum intolerabili ambiguitate v. 561 (τήν); sublata deinde, id quod plurimi est momenti, duplex illa repugnantia, quod quae antea mortem filio est imprecata (566—571) mox eadem ejusdem implorat auxilium [b], quodque Meleager, quamquam diras matris preces propter v. 571 sq. eventum habuisse statuendum est, tamen in vita manet (598—599); sublata porro cum ipsa occisi avunculi mentione (567) maxima, qua ea involuta est, obscuritas; sublatus denique versibus 573 sqq. jam vv. 553—556 continuo excipientibus foedus narrationis hiatus, qui est inter vv. 572 et 573 restitutaque certe inde a v. 550 apta illius perpetuitas [c]. Ac fatendum est concursu horum omnium satis commendari Nitzschii rationem propter tria illa, quae literis a, b, c insignivimus, omnem hanc partem spuriam judicantis, quamquam rursus resectis vv. 557—572 de ipsa, cur Meleager matri succensuerit, causa (555 cf. 566—572) nihil plane docebimur. Sed videtur etiam longius esse progrediendum et ne vv. 533—549 quidem parcendum. Qui cur subjiciantur si quaerimus, statuendum nunc est (cf. γάρ v. 533) additos eos esse ideo, ut bellum duorum populorum Calydonisque oppugnatio ab initiis suis repeterentur. Sed quum statim ab ipsa oppugnatione poeta orsus sit, praesertim in re, quae illis temporibus tam frequens esset quam finitimorum erat bellum, causae explicationem jam non exspectamus. Multo majoris momenti est, quod, quomodo a venatione ad bellum perventum sit, ne planum quidem fit istis, quae explanandi causa videntur afferri. Docemur enim unum hoc, Dianam inter Curetes et Aetolos de capite et pelle apri contentionem rixamque civisse (547—549); nam ἀυτῆς vocabulo in hoc loci nexu bellum significari vix posse supra demonstravimus. Atqui sic, id quod ibidem jam monuimus, non solum, quomodo a rixa ad bellum Calydonemque oppugnandam res deducta esset, non expositum, sed ne de ipso quidem bello axardescente dictum est. Sed ponamus, quamquam licere nego, sensum verborum esse: Diana turbas *et bellum* inter Curetes

---

[1]) Die Homerische kritik von Wolf bis Grote. Berlin, Reimer 1853 pag. 69 cl. ann. 2.

et Aetolos excitavit: ne sic quidem id, quod sciri maxime intererat, quomodo e rixa justum bellum ortum esset, in quo Calydon oppugnaretur, est indicatum. Ergo quum post vv. 529—532 non jam exspectemus quidquam ejusmodi, illa, quae habetur, expositione ne juvamur quidem multum. Atqui eadem et praegressis et insequentibus male attexta est, praegressis ambigue dicto *τοῖσι* v. 533, sequentibus bello, quod e contentione venantium exarserit, ne nominato quidem. Quo accedit, quod, si absint vv. 533—549 et vv. 529—532 continuo excipiantur vv. 550—556, rectissime jam poeta ab ipsa oppugnata urbe (529—532) exorsus fuerit [1]), quod contra, ut nunc res est, rationem vixdum institutam statim idem rursus abjecturus temere fecisse videtur [2]). Quae omnia perspicuum est interpolationem redolere. Jam lege inter se continuata, quae resectis et vv. 533—549 et 557—572 restant, senties emergere sic narrationem minime quidem omnibus partibus absolutam et perfectam, sed tamen ei, quae nunc habetur, mirum quanto praestantem.

v. 529. *Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι*
ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον,
Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς,
532. *Κουρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες Ἄρηι.*
550. *ὄφρα μὲν οὖν Μελέαγρος ἀρηίφιλος πολέμιζεν,*
τόφρα δὲ Κουρήτεσσι κακῶς ἦν, οὐδὲ δύναντο
τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν πολέες περ ἐόντες·
ἀλλ' ὅτε δὴ Μελέαγρον ἔδυ χόλος, ὅς τε καὶ ἄλλων
οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων,
ἤ τοι ὃ μητρὶ φίλῃ Ἀλθαίῃ χωόμενος κῆρ
556. *κεῖτο παρὰ μνηστῇ ἀλόχῳ, καλῇ Κλεοπάτρῃ·*
573. *τῶν δὲ τάχ' ἀμφὶ πύλας ὅμαδος καὶ δοῦπος ὀρώρειν*
πύργων βαλλομένων. τὸν δὲ λίσσοντο γέροντες κτέ.

Videbunt lectores, quae ita nata sit narratio, eam fere ad solam Calydonem a Curetibus oppugnatam spectare, de venatione autem Calydonia Althaeaque filio mortem imprecata quae traduntur, ea duobus illis, quos insiticios esse statuimus, locis contineri et rursus exceptis vv. 557—564 hos explere totos. Unde intelligitur inserta ea esse maxime hoc ipso consilio, ut illius venationis et Meleagri a matre devoti fama cum diversa, quae de hoc heroe adesset, narratione conjungeretur; quo ab eodem studio fabularum memoriam, quocunque liceret, inferendi repetenda erunt, quae de Cleopatrae parentibus, Ida et Marpessa, vv. 557—564 alieno loco interposita legimus.

Jam vero si bello inter Curetes et Aetolos gesto a posteriore manu applicata esse reperiuntur, quae de venatione Calydonia Althaeaeque narrantur exsecratione, nova exsistit quaestio, eae res num per se quoque ad illud bellum spectaverint, et si minus, quaenam alia de iis tradita fuisse videantur initio.

---

[1]) cf. Faesius ad v. 532: ‚*Uebrigens gehoeren die vier verse* 529—532 *dem zusammenhang nach eigentlich erst zwischen* 549 *und* 550.‘ Ecce, ante ipsum v. 550 collocamus!

[2]) Diximus de his omnibus supra pagg. 5—7

Quaeritur autem inprimis, utrum jam primum Graeci in bello fratrem Althaeae occisum crediderint, an vel in ipsa venatione vel continuo post eam. Nam quod nos hactenus propter universum loci nexum prius constanter statuimus, nunc soluto hoc nexu, quando, cur, quomodo illum periisse perhibitum fuerit plane integra est quaestio; quae si fieri possit, adeo debere videtur institui, quod illud ipsum bellum in controversiam venit num venationem Calydoniam et quae inde nata sunt discidia attigerit. Posse autem rem probabili certe conjectura expediri non est cur desperemus, quod non solum quae apud alios de Meleagri rebus memorantur adhibere, sed etiam mirae illius indicio caliginis tanquam duce uti licet, quae in Homericis velut dedita opera quibusdam offusa est. Meministi enim obscuritate in vv. 533 — 549. 557 — 572 laborare duo; non apparere primum, quomodo a rixa de exuviis apri orta ad bellum et oppugnationem Calydonis perventum sit, deinde, quae ratio fuerit fratris Althaeae a Meleagro occisi. Videamus jam, quae de his rebus ab aliis memoriae prodita sunt, nonne forte ab iisdem ipsae causae repeti possint, cur illae Homericae narrationis partes atris istis tenebris sint involutae.

Primariae igitur hujus fabulae, ut ita dicam, formae distinguendae sunt in hac quaestione tres. Una eaque omnium olim vulgatissima, Euripidis, ut videtur, Meleagro illustrata, haec est, ex qua propter Atalantam, nobilissimam illam venatricem Arcadiam, quae fere cum fortissimis quibusque ejus aetatis heroibus venationi interfuerit, contentio de apri exuviis exorta esse perhibetur, ut tamen bellum inter Pleuronios et Calydonios gestum sit nullum. Hanc igitur qui sequuntur [1]) Meleagrum tradunt amore Atalantae captum pellem cum capite apri, praemium sibi debitum, illi concessisse; cui quum Althaeae fratres, Thestii regis Pleuroniorum filii — plures enim commemorantur — invidia incensi pellem vel eripuissent vel eripere voluissent, a Meleagro eos aut omnes aut partem occisos esse. Rursus Althaeam matrem ad caedem fratrum dilectissimorum ulciscendam titionem illum, qui quoad incolumis foret in vivis futurum filium cecinissent Parcae, diligenter prius asservatum concremasse, cum eòque ipsius Meleagri extinxisse vitam [2]). E quibus utrum in ipsa venatione Thestii filii injuriam Atalantae illatam morte luerint an continuo post eam, apud alios parum liquet, inter alios dissensio est. Hoc constat, non bello illos interimi, quippe quod omnino fuerit nullum.

Altera fabulae forma ea est, ex qua Pleuroniorum et Calydoniorum bellum venationem excipit, Atalanta contra, etsi forsitan inter venatores fuisse putetur, ad rem tamen nullius est momenti. Congruit igitur illa hactenus cum Homerico loco. Testes ejus sunt Apollod. I, c 8, 3 (in posteriore narrat. *οἱ δέ φασιν — ἀπωρνεώθησαν*), Nicander apud Antonin. Liber. fab. 2, Pausanias X. 31, 3. Schub. et Walz. [3]) Jam Pausanias, quod huc pertineat, nihil docet nisi Eoearum et Minyadis auctores Meleagrum (in pugna) fecisse ab Apolline occidi, qui deus (in bello contra Aetolos suscepto) Curetibus adesset. Plura habent reliqui duo; quorum Apollodorus causam discordiae hanc affert, quod Thestii filii Iphiclo [4]), qui primus

[1]) Scholl. ABD ad Il I, 548. Apollod. I, 8, 2, 3. in priore narrat. (*ἐγέννησε δὲ — ἐξαίφνης ἀπέθανεν*). Schol. ad Arist. Ran. 1238 Dind. (1236 Bekk. 1269 Kuest.). Hygini fab. 174. Lutatius vel Lactantius ad Stat. Theb. II, 481. Mythogr. Vat. ed. Bod. I, 146. II, 144. Ovid. Met. VIII. 270 — 545. Lactantius Placidus VIII. 4. Diod. Sic. IV, 34

[2]) Omisimus, quae nihil ad rem facerent. De mortis genere, qua Meleager perierit, Diodorus Sic. diversa tradi refert. Prior ejus narratio ab illis dissentit, altera consentit.

[3]) Phrynichus in Pleuroniis quomodo rem tractaverit parum liquet. cf. tamen Welcker. griech. trag. I. p. 21 sq.

[4]) Utrum Thestii filio illi an Herculis fratri, ambigitur. v. Heynii ad Apollod. observ. p. 50.

aprum telo percusserit, victoris praemium voluerint vindicare. Hinc bellum inter Curetes et Calydonios ortum, in quo quum Meleager (ex urbe obsessa) eruptione facta avunculorum aliquos occidisset, matrem eum detestatam esse. Jam hunc succensentem domi se tenuisse, frustra civibus, quum hostes jam moenia oppugnarent, ut opem ferret, per legatos rogantibus. Tandem uxoris precibus motum ad certamen descendisse in eoque reliquis quoque avunculis, qui etiam tunc superstites essent, interemptis ipsum pugnantem cecidisse. Mittimus reliqua. Patet autem traxisse illa originem ex narratione Homerica hic illic immutata et amplificata. Non mirum igitur, quod in bello avunculi occisi esse traduntur.

Multis partibus ab his dissidet Nicander. Convocatos esse ad aprum venandum fortissimos quosque universae Graeciae a Meleagro *et* Thestii filiis [a]. Interemtae conjunctis viribus [1]) ferae carnem quidem Meleagrum inter socios divisisse, pellem vero cum capite praemii loco ipsum retinuisse. Sed Diana auctore [b], quae necato apro sibi sacro etiam vehementiore quam antea [c] ira exarsisset, Thestii filios reliquosque Curetes dimidium praemium postulantes pelli apri manus injecisse et (concedere nolenti) Meleagro vi eripuisse [d], quo facto ipsos ab eo esse interfectos. Jam ob hanc principum caedem bello inter Curetes et Calydonios exorto Meleagrum a matre devotum pugnandi societatem detrectasse; tandem in summo urbis discrimine uxoris precibus ad defensionem adductum ipsum titione fatali a matre combusto mortuum esse. Reliqua missa facere licet.

Affertur igitur in his contentionis de apri spolio ortae ejusmodi causa, quae ad Atalantam omnino non spectet, perinde atque apud Apollodorum modo videbamus. Interficiuntur autem avunculi Meleagri statim in ipsa venatione, contra atque et ab Apollodoro (post. loco) referebatur et ex Homericis, qualia nunc habentur, colligendum erat. Quo eodem efficitur — caedem fratrum, ut decet, continuo Althaeae exsecratione, hanc autem continuo filii succensentis desidia excipiente — ut jam primum Meleager a bello abstineat, id quod et ipsum ut Apollodoro ita Homero (550—552) repugnat. Cui duplici discrepantiae eo plus tribuendum est, quod apud eundem illum, e quo Nicander sua petiit, alia invenimus (a, d cf. Il, I, 549. b, c cf. ibid. 536 sqq. 547), in quibus rerum apud Homerum summis tantum lineamentis adumbratarum sollers interpretatio diligensque explanatio agnoscenda videtur. Denique observa titionis fatalis cremationem in Nicandri narratione exsecrationi matris addi inutiliter; quae si, ut conveniens erat, valebat, vel propter hanc Meleagrum interire necesse nec titione adhibito opus erat.

Superest tertia quaedam fabulae forma e duabus, de quibus egimus, ita mixta, ut cum praemio victoris Atalantae a Meleagro concesso, a Thestii autem filiis erepto [2]) bellum Pleuroniorum et Calydoniorum conjungatur. Testes sunt ipsi Homeri interpretes: scholl. ABD ad I, 534 et Eustath. p. 774, 27—36. Occidi igitur hi faciunt fratres Althaeae (vel omnes [3]) vel partem eorum [4])) continuo post ipsam venationem, prout ab iis traditum vidimus, quos primo testium genere supra complexi sumus et praeterea

[1]) A quonam et quomodo, parum accurate exponitur. Quod adest οἱ δὲ (int. οἱ ἀριστεῖς, quos Meleager et Thestii filii convocaverant) negligentius dictum videtur pro eo, quod nos supra posuimus.

[2]) In uno testimoniorum, schol. ABD ad I, 534, ereptum praemium silentio praetermissum est, sola, ut videtur, negligentia; cf. simillimam relationem Eustath. p. 744. 27 sqq. Rom.

[3]) Eust. p. 774. 29.

[4]) Scholl. ABD ad v. 534.

a Nicandro. Itaque et bellum, quod a Pleuroniis Calydoniis inferatur, post occisos demum Thestii filios susceptum esse narrant ad ipsas poenas caedis repetendas et pugnandi societatem, ut consentaneum est, jam a principio a Meleagro detrectatam; utrumque dissentiente Homero, consentiente contra Nicandro. Tum exsecratio matris in his quoque narrationibus sicut apud eundem Nicandrum titione combusto minus recte cumulatur. Denique non negligendum est si minus Eustathio at scholiastis testibus magnas Curetum, h. e. inprimis Thestii filiorum, in instituenda venatione fuisse partes[1]); id quod item se habebat apud Nicandrum. Ut tanto minus ab Atalanta rixae causam repeti necesse fuerit.

Jam quid ex his colligamus?

Differunt, quae apud alios poetas de Meleagri fortuna tradita fuerunt, ab Homericis his potissimum rebus. Primum rixarum caedisque causa apud multos Atalanta extitit [a], cujus mentio ab Homero plane abest; deinde caedes apud reliquos uno excepto eo, quem Apollodorus in post. narr. sequitur, omnes aut in ipsa venatione aut continuo post eam facta est [b]; tum bellum Curetum et Aetolorum ex vulgatissima fabulae forma fuit nullum [c]; porro, quum in Homericis Althaea imprecata tantummodo esse mortem filio narretur, alii non pauci titionem, quo vita Meleagri contineretur, a matre combustum aut in illius exsecrationis locum substituerunt aut ei otiose adjunxerunt [d]; denique, quum apud Homerum nisi tectius non indicetur, ex odio matris matura morte Meleagrum extinctum esse, reliqui omnes non solum de eo consenserunt, sed etiam universam fabulam ad id ipsum voluerunt redire [e]; postremo apud reliquos omnes non de uno sed de pluribus Althaeae fratribus occisis [f], apud plerosque praeterea (id quod supra missum facere licebat) de voluntariis matris et uxoris Meleagri mortibus sororibusque ob nimium luctum in aves transformatis [g] traditum fuit.

Ac primum Atalantae [a] ne jam in antiquissima fabulae forma, ad quam vv. 533—549. 557—572 spectent, easdem partes fuisse suspicemur, quae apud posteriores fuerunt, Apollodori (post. loco) et Antonini Liberalis relationes intercedunt, in quibus alias easque idoneas conflictionis causas allatas videamus. Eadem ratio est titionis a matre combusti [d], quo quod effectum voluerunt vel exsecratione matris effici necesse erat. Quid? quod ne de uno quidem avunculo occiso ([f], cf. v. 567) quidquam cogit ut dubitemus. At sorores in aves conversas [g] antiquissima aetas vix noverat; quae rursus de matris et uxoris mortibus [g] quid senserit, plane in medio est reliquendum.

Jam vero quod supra et ex verbis et ex ipsa exsecrationis maternae sanctitate conclusimus, vel eum qui vv. 533—549. 557—572 inseruerit Meleagrum matura morte periisse velle, eam nunc sententiam omnium consensu [e] egregie confirmari apparet. Sed, quod maxime quaerebamus, hoc erat, quid de tempore caedis statuendum esset [b]. Vides jam uno excepto Apollodoro (in post. narr.) ab omnibus eam aut in ipsa venatione, aut continuo post eam poni, minime vero, ut ex Homericis, qualia nunc sunt, colligendum fuit, in bello, quod major pars testium omnino ignorat. Quamquam ex hoc numero iis, quos primo genere supra comprehendi, non nimium tribuendum esse ipse intelligo. Secuti enim videntur Euripidem: tragici autem poetae interesse potuerat, ut omnia quam minimis temporis intervallis inter se distarent. Sed etiam Nicander, quem ex Euripide non pendere patet (ut scholl. ABD ad v. 534 et Eustathium mit-

[1]) Scholl: *Καλυδώνιοι δὲ καὶ Πλευρώνιοι προῆλθον ἐπὶ τοῦτον* (int. *τὸν σῦν*).

tam), in ipsa venatione avunculos occisos esse tradiderat; idque eo majoris est momenti, quod is, e quo illa sua hausit, quum in eo, quod venationem Calydoniam cum bello Curetum et Aetolorum conjunxerat, tum in aliis quibusdam (cf. supra p. 13) ipsi Homerico loco, qualis nunc est, se accommodasse videtur. Nihilominus de illa quidem re ab Homero discesserat aut vi victus si non veritatis, at probabilitatis, aut meliora edoctus vigente etiamtunc incorrupta rei memoria. Apollodorus autem quod unus dissentiens cum Homero in bello demum Thestii filios occisos esse refert, id parum contra Nicandrum valere facile intelligitur: nam et ille, quem Apollodorus adierat[1]), Homerum sine dubio est secutus, a quo, ut hoc utar, legationem mutuatus est, qua Meleagri auxilium cives implorasse narrantur v. 574 sqq.; quod si idem indidem fratres Althaeae in bello occisos repetiit, minime id mirum potest accidere.

Erit igitur, quo nitamur, si ex ea quoque fabulae formae, e qua fluxerunt, quae vv. 533—549. 557—572 leguntur, caedem non in bello, sed aut in ipsa venatione aut continuo post perpetratam esse suspicabimur. Accedit autem huic conjecturae non mediocris commendatio inde, quod ea ipsa miras istas tenebras, quibus et causae belli et caedis avunculi commemorationem velut de industria involutam esse significabamus, tanquam sole nubila dispelli videbimus. Conjungenda jam erant venatio Calydonia, frater Althaeae occisus, devotus a matre Meleager cum Curetum et Calydoniorum bello, cui primo Meleager interesset. Ponamus igitur, instituturum fuisse poetam illorum eum ordinem, qui et per se vehementer placet et apud Nicandrum, scholl. ABD ad 534, Eust. l. l. reperitur, ut venationem rixa et caedes, caedem hinc matris exsecratio, illinc bellum Calydoniis a Curetibus illatum exciperet: futurum erat, ut Meleager ne initio quidem bello interesse posset, nisi forte aut mater mortem ei imprecari sero in animum induceret aut ille sero rem cognosceret. Patet enim, si caedes ante bellum facta erat, Meleagrum necesse fuisse exardescente bello aut jam a matre devotum esse, aut tunc maxime devoveri. Non poterat igitur sic fieri, quin ira incensus jam primum pugnandi societatem detrectaret. At in ea quae aderat narratione e contrario tradebatur initio Calydonem fortiter contra hostes defendisse idque per majus temporis spatium: *ὄφρα μὲν οὖν Μελέαγρος ἀρηίφιλος πολέμιζεν, | τόφρα δὲ Κουρήτεσσι κακῶς ἦν, οὐδὲ δύναντο | τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν πολέες περ ἐόντες· | ἀλλ' ὅτε δὴ Μελέαγρον ἔδυ χόλος, ὅς τε καὶ ἄλλων | οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον πύκα περ φρονεόντων κτέ.* (v. 550 sqq.). Quum igitur hoc loco in medio demum bello Meleager iram concepisse narraretur, sequebatur, si irae causa exsecratio matris, ejus autem causa frater occisus afferretur, haec omnia in ipso bello ponenda fore. Atqui sciebat poeta rem se habuisse aliter. Itaque aut mentiri aut versibus 550—554 repugnantia narrare coactus mediam quandam iniit viam. Ut dissimularetur repugnantia, de avunculo a Meleagro interfecto ita dixit, ut is *videri* posset in ipso demum bello periisse, non ille quo debebat loco rem commemorans (inter 549 et 550), sed infra (567), post eos versus, quibus Meleager initio bello interfuisse ac tum demum, quum ira in matrem incensus esset (*ἔδυ* v. 553), ab eo discessisse referebatur: 550—556. Idem vero quum falsa referre religioni duceret, verbis illud ipsum eloqui diligenter cavebat; quare accuratiorem omnem rei, ut gesta esset, expositionem sanguine viperino cautius vitabat, nec, cur ille Althaeae frater occisus esset, nec quando, nec quomodo ac ne cujas

---

[1]) Ex ipso (aut solo) Homero neque Nicandrum neque Apollodorum ac multo minus scholl. ABD ad 534 et Eustath. hausisse eo evincitur, quod addiderunt quaedam, quae ab Homero absunt.

fuisset quidem docens, sed duobus his verbis *κασιγνήτοιο φόνοιο* (567) rem transigens. Tanto copiosius contra, quo auditorum ista cognoscendi desiderium obtunderet, exsecrationem matris describebat (vv. 568—571 vel 572). Hinc igitur mirae illae tenebrae, quae huic narrationis parti obductae sunt. Quae quidem si recte statuimus, ex iisdem intelligitur, cur, quomodo a rixa venantium (v. 547) ad bellum perventum sit, velut consulto a poeta celemur. Quod bellum quum per se proximum esset susceptum fingere propter Curetum ducem vel in ipsa venatione vel continuo post interfectum, hujus tamen rei ita mentionem facere constituerat poeta, ut ille videri posset inter oppugnationem demum Calydonis occisus esse. Non restabat igitur alia, quae afferretur, belli causa. Quam comminisci quum poeta aut vereretur aut meditandi laborem fugiens nollet, omnem rem, ut factum videmus, silentio sibi plane praetereundam duxit.

Quaeris jam fortasse, licet ipsa, quae vv. 529—532. 550—556. 573—599 narrantur, cum Meleagro ex ira matris pereunte non conveniant, nonne nihilominus jam in antiquissima fabulae forma belli Curetum et Calydoniorum eaedem fere esse potuerint partes, quae nunc sint apud Apollodorum (post. loco), Nicandrum (ap. Ant. Lib.), scholl. ABD ad v. 534. Eustathium (l. l.): ut ad poenas ducis occisi repetendas a Curetibus Calydoniis illatum esse in eoque Meleager proelians cecidisse traderetur. Ea quaestio quomodo dijudicari possit non video; hoc patet ad absolvendam fabulam ejusmodi bellum minime requiri, sed habituram fuisse eam justum initium, progressum, exitum, si praeter iram Dianae, venationem apri, contentionem de victoris praemio ortam, caedem vel unius vel plurium Thestii filiorum eadem Meleagrum ex diris matris precibus intereuntem et forsitan voluntariam Althaeae mortem complecteretur. Item perspicuum est inde, quod Apollodorus et quos praeter eum apposuimus duces occisos armis a Curetibus vindicatos esse referunt, nullo modo hoc effici, ut illud bellum jam ad antehomericae fabulae formam, in quam inquirimus, pertinuisse statuendum sit; potuisse enim fieri, ut, quos illi sequebantur, auctores ex ipsa hac Homerica narratione illud adsciscerent. Quod si factum est, ex Homerico loco olim corrupto novae fabulae formae originem traxerunt.

Relinquitur, ut pauca de ea narratione addamus, quae resectis vv. 533—549. 557—572 restat: 529—532. 550—556. 573—599. Est illa quidem in reliquis omnibus plena et absoluta, sed habet tamen unum, quo aliunde idque ex ea ipsa, de qua modo egimus, fabula videri possit pendere, Meleagri in matrem dico iram[1]), cujus quae causa fuerit nunc non apparet. Quo ipso erunt fortasse qui probari arbitrentur illud, quod modo in medio relinquendum censuimus, jam ad antiquissimam fabulae formam bellum Curetum et Calydoniorum spectasse. Qui si recte sentiant, statuendum certe erit posteriorem illam, quam volunt, fabulae partem ab hoc poeta in quibusdam immutatam esse, quum ut omnino ea proposito Phoenicis (vv. 600—605 cf. supra p. 9) accomodaretur, tum ut in singulis quibusque Meleagri conditio Achillis conditioni quam simillima fieret. Nam priorem ob causam putandus erit poeta illud mutavisse, quod de matura eademque subita Meleagri morte fama traditum fuerat: quippe cui nunc non respondeant vv. 598—599; alteram ob causam censendus erit Meleagrum fecisse initio bellum administrantem (vv. 550—553), id quod parum credibile esse videbamus. Eodem consilio fortasse legatos ad Meleagrum placandum missos

[1]) cf. 553—554. 555—556, quamquam hi posteriores versus una cum sequentibus 557—572 ab altero poeta proficisci poterant.

(574—580) addidit. Nam profecto, quae nunc narrantur, horum nimia quaedam est cum rebus Troicis similitudo [1]). Substituas modo pro Aetolis Graecos, pro Curetibus Trojanos, pro Aetolorum urbe Calydone Graecorum castra, pro Meleagro (matri) succensente! (553—554. [555—556]) Achillem (Agamemnoni) iratum: habes aliis nominibus paucisque, ut res ferebat, additis (581. 583) res ante Trojam gestas. Nam ut Curetes Aetolorum urbem Calydonem obsident (529—532), ita Graecorum castra Trojani; quibus ut res male cessit, quamdiu Achilles bello interfuerat, ita cum illis male agitur, quamdiu Meleager cum suis pugnat (550—552). Convertitur deinde Curetum fortuna eo, quod Meleager ira incensus a belli societate se sejungit, sicut Trojanorum fortuna conversa est Achillis succensentis desidia. Extemplo jam Curetes premunt Aetolos (573—574); item Trojani Graecos. Tum legatione missa maximoque proposito praemio Meleagri auxilium a civibus imploratur (574—580), perinde atque Achillis a Graecis. Fatigant precibus Meleagrum, qui ipsi sunt amicissimi (585 sq.); item Achillis pertinaciam tunc ipsum expugnare student, quibuscum officiorum necessitudine amicitiaque est conjunctissimus (cf. v. 198. 204. 520—522. 641—642).

Quae quum ita sint, quamquam posse non nego, ut fama fuerit tradita hujus narrationis summa, non tacebimus tamen, fieri non minus potuisse, ut poeta fingeret omnino bellum illud Meleagri aetate inter Curetes et Aetolos gestum, quo exemplum Achilli afferret prisci herois cum suo damno nimium irae indulgentis. Hinc mira illa cum Troicis Meleagri rerum similitudo. Poterat quidem adjuvare poetam et veterum inter Curetes et Aetolos certaminum memoria [2]) et odii matris, quo Meleager periisset, recordatio. Nam quae de Meleagri fortuna ferebantur, sine dubio ne illum quidem fugiebant. Quibus tamen ea tenus est usus, ut, quum mater perhiberetur irata fuisse filio, ille pro suis rationibus inversa re filium faceret succensentem matri (553—554 vel 556 cf. Nitzschius, sagenpoesie I, p. 148).

Sed redeundum est tandem eo, unde digressi sumus. Dicebamus enim supra [3]) universam narrationem (529—599) nobis improbari: explicandum jam est, cur ne antiquiores quidem ejus partes (529—532. 550—556. 573—599) genuinas putemus. Ac patet etiamsi forsitan fictum et commenticium sit Curetum illud et Calydoniorum bellum, de quo his versibus narrans inducitur Phoenix, hoc tamen, cur spurios eos censeamus, non satis causae esse: potuit enim rem comminisci ipsius libri auctor. Modo ne ejusdem loci ipsum propositum a superioribus prorsus abhorreret. Etenim omnis de Meleagro narratio quorsum spectaret, supra jam indicavimus (p. 9). Dehortatur Meleagri exemplo usus Achillem Phoenix, ne opem tunc, quum maxime precibus donisque expetatur, recuset. Cur autem dehortatur? Quia, si postea nullis ante praemiis acceptis ultro tulerit, futurum sit ut minore Graeci eum colant observantia. At vero hoc argumento qui tandem opinari potest Achillem commotum iri? Cujus prorsus nihil intererat utrum illi qui Trojam obsiderent Graeci pluris se an minoris essent facturi, quem ne possent quidem, etiamsi vellent, despicatui

---

[1]) cf. scholl. BL ad v. 527. A poster. ad 534. BL ad 548. Eustath. p. 771, 10 sqq. Preller. griech. mythol. II, p. 203 *seine geschichte — entspricht.* p. 205 *eine dichtung — des Achill erinnert.*

[2]) v. Strabon. X, 3, 2 p. 369 Cram. *Ἔφορος δὲ . . . ἐξ ἀρχῆς μὲν φησιν ἅπασαν τὴν χώραν Κουρῆτας κατασχεῖν· ἀφικομένου δ' ἐξ Ἤλιδος Αἰτωλοῦ τοῦ Ἐνδυμίωνος καὶ τοῖς πολέμοις κρατοῦντος αὐτῶν, τοὺς μὲν Κουρῆτας εἰς τὴν νῦν καλουμένην Ἀκαρνανίαν ὑποχωρῆσαι, τοὺς δ' Αἰτωλοὺς συγκατελθόντας Ἐπειοῖς τὰς ἀρχαιοτάτας κτίσαι τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ πόλεων.*

[3]) v. pagg. 1 et 4.

habere — a Troade absentem. Profecturus est enim Achilles in patriam idque jam postridie bene mane (357 sqq. [360]. 393 sqq. 427—429 cf. 417 sq. [*καί*] 434—446); quo vel timor ereptus est Phoenici, ne necessitate cogente invito aliquando ad certamen descendendum, hoc est ultro auxilium ferendum sit [1]. Jam igitur praevideri dicamus a Phoenice, fore ut Achilles, quamquam discedere constituerit, futurae Graecorum cladis exspectatione in Troade retineatur? Quam excusationem arripient fortasse, qui Achillem, quum idem A, 169 sqq. in patriam se rediturum minatus esset, tamen mansisse meminerint. At obstat, quod, ne inepta Phoenix moliri videretur, id ipsum illam ejus mentem esse indicari utique debebat. Nunc contra tantum abest, ut senex usquam ejusmodi suspicionem ostendat, ut, quo loco Achilli in patriam abeunti sese comitem non defuturum respondet, omni utatur asseveratione et gravitate minime assimulata: 434—446. Agnoscemus igitur potius confectam esse totam hanc partem (vv. 529—532. 550—556. 573—599. 600—605) ab aliquo, qui aut parum memor esset eorum, quae Achilles supra de crastina sua profectione vitaeque domi instituendae consilio exposuit uberrime, aut, si meminisset, tamen nihil curaret, quam non cum illis hujus loci propositum conveniret. Quorum utrumque quum ab ipso carminis auctore alienum sit, ut ab interpolatore illam partem profectam putemus consequens est.

Quod si recte statuimus, necesse jam est obelo notare una cum illis, quos modo diximus, versibus in oratione Phoenicis vv. 524— 528, in insequente Achillis 607 extr. — 611. Quorum priore loco (524 —528) narratio Phoenicis praeparatur, altero excepto, quo ad sequentia transitus fit, versu 611 ad Phoenicis verba *ἶσον γάρ σε θεῷ τίσουσιν Ἀχαιοί* (603) Achilles respondet. Ac versum 607 primum allocutionis parte velut *ἱπποκέλευθε* (cf. *ἱππηλάτα Φοῖνιξ I*, 432. *Π*, 196. *T*, 311) vel *ὄρχαμε λαῶν* (cf. *Π*, 196) terminatum et continuo versu 612 exceptum fuisse statuo. Ipsam autem Phoenicis orationem versibus iis, qui proximi sunt, 519 vel 515—523 manifestum est praeclare finiri:

εἰ μὲν γὰρ μὴ δῶρα φέροι, τὰ δ' ὄπισθ' ὀνομάζοι
Ἀτρεΐδης, ἀλλ' αἰὲν ἐπιζαφέλως χαλεπαίνοι,
οὐκ ἂν ἐγώ γέ σε μῆνιν ἀπορρίψαντα κελοίμην
Ἀργείοισιν ἀμυνέμεναι χατέουσί περ ἔμπης·
νῦν δ' ἅμα τ' αὐτίκα πολλὰ διδοῖ, τὰ δ' ὄπισθεν ὑπέστη,
ἄνδρας δὲ λίσσεσθαι ἐπιπροέηκεν ἀρίστους
κρινάμενος κατὰ λαὸν Ἀχαιικόν, οἵ τε σοὶ αὐτῷ
φίλτατοι Ἀργείων· τῶν μὴ σύ γε μῦθον ἐλέγξῃς
μηδὲ πόδας· πρὶν δ' οὔ τι νεμεσσητὸν κεχολῶσθαι.

Quid? Nonne hi versus justae perorationis speciem prae se ferunt? Atque, ut hoc loco genuinorum, nonne similiter infra interpolationis finis insignitur formula, qua ad aliud rerum genus transitus fieri solet: *ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν* v. 611? Vides quantopere haec rationi nostrae faveant. Quae si post omnia, quae attulimus, confirmatione egeat, non desunt quidem, quibus in eam partem utare. Velut statim in principio componendi diligentia desideratur. Orditur locum, qui confecit, his versibus (524 sqq.): *οὕτω καὶ τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν | ἡρώων, ὅτε κέν τιν' ἐπιζάφελος*

---

[1]) v. scholl. BL ad 602. Eust. p. 762, 58. 771, 25—26.

χόλος ἵκοι | δωρητοί τ' ἐπέλοντο παράρρητοί τε ἔπεσσιν. | μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγὼ πάλαι, οὔ τι νέον γε, | ὡς ἦν· ἐν δ' ὑμῖν ἐρέω πάντεσσι φίλοισιν. Jam haec quis non exspectet secuturum esse exemplum irae precibus donisque placatae? At affertur implacabilis; omissa est igitur, quam mediam interponi oportebat, hujusmodi sententia: si quis vero contra morem majorum inexorabilem se praebuerit, eadem antiquitatis memoria doceri animum implacabilem ipsi fuisse damno Item in dictione inveniuntur, quae ab eloquentia ejus, a quo genuinae libri partes profectae sunt, longius distare videantur. E quibus quod legitur v. 551 sq. οὐδὲ δύναντο | τείχεος ἔκτοσθεν μίμνειν πολέες περ ἐόντες, utcunque interpretareris, perperam se habere supra jam monuimus (pag. 5 sq.). Displicent praeterea languido et verboso dicendi genere vv. 600—601: ἀλλὰ σὺ μή μοι ταῦτα νόει φρεσί, μηδέ σε δαίμων | ἐνταῦθα τρέψειε, φίλος; quae quid velint, quamvis non parsum sit verbis, tamen non tam ex ipsis discitur quam conjectura eliciendum est ex sequentibus: χαλεπὸν δέ κεν εἴη | νηυσὶν καιομένῃσιν ἀμυνέμεν. Non multum differt ὡς ἦν inutiliter additum v. 528. Jejunum porro est epicique sermonis colore caret de bellicis calamitatibus dictum κακῶς ἦν v. 551, quocum quod conferatur, si ab illo loco discedimus, quem spurium esse plerique omnes consentiunt, Λ, 665—762 (ubi v. verbum κακοῦν vv. 689. 690) nihil neque in Iliade neque in Odyssea exstat; nam I, 324. υ. 99. π, 212. ζ, 137. δ, 754 vel formulae κακῶς εἶναι (I, 324) vel verbo κακοῦν (iis, quos diximus, Odysseae locis) longe alia potestas subjicitur. De adversa belli fortuna exspectes δαμῆναι, δηϊοῦσθαι simm. Denique formula εἰς ὅ κ' ἀυτμὴ | ἐν στήθεσσι μένῃ καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ v. 609 sq. admodum aut negligenter videtur posita non subjecta ejusmodi sententia, qualis est Σ, 330—332, al.[1]) aut cum verbis παρὰ νηυσὶ κορωνίσι v. 609 inconsiderate conjuncta. Nolo autem de loco impeditissimo pluribus disserere, praesertim quum vv. 609—610 possint certe abesse. Sed haec hactenus; neque enim ex τιμῆς v. 605 quidquam concludere ausim[2]). Qua in forma offendit quidem ipsa, quam sexcentis aliis locis adjectiva in εις desinentia respuant, contractio[3]); sed praesidio tamen unus certe est locus Σ, 475, ubi illa in eodem vocabulo redeat. Insuper Goebelius[4]) collatis quum aliis tum ἀργήεις, ἀργής singularem ejus adjectivi formam τιμής, τιμῆτος et illo loco et Σ, 475 reponendam esse suspicatur.

De altero loco, quem in oratione Phoenicis insiticium censemus (vv. 449—478) brevioribus esse nobis licet. Narrat ibi Phoenix qui factum sit, ut adolescentulus domo patria relicta exsulatum iret. Quum enim Amyntor pater prae pellice, in qua arderet, uxorem legitimam negligeret, matris se precibus adductum, quae juvenis amore animum illius a sene avertere vellet, cum muliercula se concubuisse; patrem vero re statim cognita mala sibi precantem a diis inferis, ut prolem impio denegarent filio, petiisse. Jam primo se de patris caede cogitasse, mox abjecto improbo consilio domum patriam propter odium parentis sibi

---

[1]) Pugnabit quidem sic locus cum Achillis consilio discedendi 357 sqq. 434 sqq. 617—619; sed id in hac causa nullius momenti est; pugnant enim cum illo consilio non minus vv. 650—655; vide supra pag. 18.

[2]) Lectionem τιμῆς Wolfius revocavit; prius enim τιμῆς legebatur (Aristarcho auctore, vid. schol. A post. ad 605. cf. scholl. V. BL. A prius ad eundem v.)

[3]) Terminatio εις olim litera Aeolica instructa fuit, vide quos laudat Goebel. de epithetis Hom. in εις desinentibus (Monast. Guestphal. Theyssing. 1858.) pag. 7.

[4]) Ibid. pag. 41.

invisam relinquere constituisse frustraque a cognatis interdiu precibus epularumque opipare apparatarum illecebris, noctu custodia per novem dies retentum decimo die effractis cubiculi foribus clam illis egressum profugisse.

Jam haec quid ad rem, hoc est ad Achillis animum flectendum? Et si nihil [1]), quid hoc loco sibi volunt? An inutilissimam narrationem eo a suspicione defendi dicamus, quod episodium, quod vocant, efficiat? At, ut temerarium est, caeco quasi furore in omne episodiorum genus grassari, ita unumquodque episodium ideo, quod episodium sit, quasi pro sacrosancto habere stultum erit. Nec quisquam serio talem legem constituit; immo *Λ*, 665—762, quamquam paene totus locus (668—762) episodio continetur, a nullo fere negatur esse adulterinos. Cur improbant? Eam ipsam ob causam, quod episodium otiosum est et molestum. Neque audiendi erunt, si qui morum studium depingendorum invito poetae obtrudentes senes moneant juventutis memoria repetenda mirum in modum delectari. Repetant, non pugno, at suo loco et ut res gerenda non impediatur, sed adjuvetur. Velut Nestor, quum *H*, 132—156 de occiso a se adolescentulo Ereuthalione narrat, ipso exemplo suo principum Graecorum inflammat virtutem eosque ad certamen ab Hectore oblatum instigat suscipiendum. Hujus vero loci quis usus sit, difficile dictu est. Quo si forte hoc agere Phoenicem moneas, ut, antequam ad preces Agamemnonis iterum (post 225—306) commendandas (496 sqq.) progrediatur, diffundat et relaxet ira tumentem Achillis animum: concedo quidem illi in eam *fere* partem nonnulla praefanda esse, sed idem ei, quod res postulat, satisfieri censeo exordio orationis (434—446) iisque, quae infra sequuntur vv. 479—495. Ceterum ne ardet quidem etiam tunc Achilles ira, quae deflagrare coepit jam inde a v. 393. Verum patet, opinor, de talibus illum, qui narrationem composuit, omnino non cogitasse, sed eum nihil voluisse nisi uberius persequi, quod breviter indicatum est v. 448: *φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο.* Atqui, quod exsul ad Peleum venisset Phoenix (479 sqq.), illo uno versu ne miraremur satis erat cautum: de ipsis *νείκεσιν* istis doceri nec Achillem attinebat nec auditores. Nec vero magis requiri intelligis vv. 449—478 propter vv. 493—495 (cf. 454—457); ubi quod deos prolem sibi denegasse Phoenix dicit, non necesse est ideo factum putare, quod pater ab illis petierit. Rursus istiusmodi propositum ipse existimes num potius poetae fuisse videatur elegantissimi, an interpolatoris, quid cuique loco conveniret, quid non conveniret parum laborantis. Habet autem otiosissimus locus in singulis quoque, quod suspicionem injiciat. Nam quod vv. 464—465. 466—469 de pertinacia sua nullis propinquorum precibus, nulla eorundem amoris declaratione expugnata aequissimo Phoenix narrat animo, ferendumne est in eo, qui mox ipse Achillis pertinaciam castigaturus Precesque Jovis filias non impune sperni dedita opera sit expositurus (vv. 496—514), praesertim quum hoc uno argumento totius orationis contineatur summa? Poteris quidem objicere hoc posteriore loco (496—514) de solo eo precum genere dici, quo quis delicti vel injuriae petat veniam (v. 499—501. 505 sqq. cl. 507), aliud precum genus intelligi vv. 464—465: verum quum Phoenix suam conditionem a conditione Achillis aut Achillis a sua diversam esse nullo modo significet, effici eo necesse est, ut videantur certe ista inter se pugnare. Atqui vel hoc diligentiori poetae vitandum fuisse patet.

---

[1]) Nugas veterum (scholl. BLV ad 449. B ad 452. BL ad 453. Eust. p. 763, 12—15.), qui tectas in quibusdam admonitiones agnoscere sibi visi sunt, missas facio.

Ne longus sim, equidem, quin insiticii sint vv. 449—478, non dubito. In quibus quod v. 457 (*Ζεύς τε καταχθόνιος καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια*) nomen *Ζεύς* appellativa potestate prorsus insolenter positum invenitur, ei rei propterea non multum tribuerim, quod ipse ille versiculus primum abesse facile potuit. Sed offensioni fuerunt praeterea vv. 464—477, quorum vides partem esse eos, quibus nos modo usi sumus, 464—469. Quum enim in his prioribus (464—469) retinuisse Phoenicem tradantur propinqui et familiares precibus conviviorumque deliciis, in posterioribus autem (470—477) iidem eundem in custodia dicantur habuisse, hos duos a fuga prohibendi modos adeo inter se discrepare censet Friedlaenderus [1]), ut conjunctis illis non potuerint uti iidem. Statuit igitur totam hanc partem (462—477) conflatam esse e duobus diversorum auctorum locis de eadem re diversa narrantium. Uni narrationi (462—469) nunc finem deesse, in quo Phoenicem tale aliquid dixisse videri velut: *ἀλλ' ἐμὸν οὐκέτι θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον* (cf. v. 587); alteri initium, in quo indicatum fuisse arbitratur eos, qui *a patre starent*, vel ad rationem delicti reddendam vel ad poenas persolvendas Phoenicem fuisse retenturos.

Quae si recte se habent, non fugiet intelligentes iis ipsos illos, quos supra in nostram adhibuimus rem, vv. 464—469 suspicionis quadam nota adspergi. Quare operae pretium videtur ad causam nostram tuendam de Friedlaenderi judicio nonnulla addere. Jam ut a duobus eadem res diversis modis narraretur, iisque adeo diversis, ut (quod Friedlaenderus premit) ab utroque alterutrum tantum statuere debeamus auctore positum [2]), ipsum plus una ratione fieri potuisse facile perspicis. Potuit primum ita, ut una narrationis forma ipsius poetae esset, altera vel rhapsodi vel poetae alicujus, qui carmen illius aut recitaret aut aliud nescio quid operae in eo genere praestaret; potuit autem non minus ita, ut neutra ab ipso poeta proficisceretur, sed utraque vel a rhapsodo vel ab alio tali, qualem modo diximus, poeta. Si illud, non vulgaris quidem interpolatio habetur, sed nihilominus hic genuina, illic spuria [3]); sin alterum, adeo utrimque spuria. Quid? quod fieri potest ut de conjunctis duabus ejusmodi recensionibus vel tum alterutra tantum genuina sit putanda, si per se suo utraque loco maxime genuina fuit. Fac enim unam eandemque rem narratam fuisse in duobus carminibus ceteroquin diversis; fac compositores vel totius Iliadis vel majoris alicujus partis, quum duo carmina una in illud corpus recipere non liceret, de eo, quod supprimere visum esset, carmine tantum certe, quantum possent, voluisse servare; transposuisse igitur eam hujus partem, cujus similis in altero carmine reperiretur, in hoc ipsum cum geminoque loco ad unius narrationis speciem conglutinasse: erunt sic duae recensiones per se quidem aeque Homericae, at minime utraque genuina. Nam quum in eo carmine, quod in Iliadem recipiebatur, alterutra tantum illarum recensionum fuerit, eam, quae ex altero carmine in illud est illata, a quoquo profecta erat, jam in hoc narrationis contextu spuriam esse sequitur. Eodem res redit in reliquis generibus, quotquot miscendis tribus iis, quae diximus, fingi possunt. Velut si ponimus, fuisse reliquorum omnium eandem rationem atque in tertio, quod constituimus, genere, interesse tamen hoc, quod alter (*a*) duorum ejusmodi locorum (*a* et *b*), quorum ille (*a*) car-

---

[1]) Doppelte recensionen in Iliade und Odyssee. Philol. IV, 4. pagg. 577—591 (582 sq.).

[2]) Luculentum exemplum duplicium, quas vocant, ejusmodi recensionum habes *δ*, 280—284 285—289, quorum alterutri necessario requiruntur (v. 271), ut tamen una duo loci ferri nequeant.

[3]) cf. Nitzsch. sagenp. I, p. 140—149.

minis *A*, hic (*b*) carminis *B* esset, ipse ab interpolatore demum insertus fuerit in *A*: patet, si conjuncti *a* et *b* nunc habeantur in *A*, utrumque (et *a* et *b*), sin in *B*, certe *a* esse adulterinum. Restat, in quo res aliter se habeat, unum duplicium recensionum genus ab ipso poeta profectarum, natum ex binorum confusione, quorum alterutrum tantum suo loco poeta voluerat recitari. Nam, quod his temporibus usu venit, id jam tunc fieri poterat, ut ipse poeta pro simplicioribus vel minus bonis exornatiora postea vel emendatiora substitueret. Poterant praeterea haec illa auditorum gratia mutanda videri, ut id mittam, quod quibusdam in mentem venit, jam primum interdum ipsum poetam in uno eodemque carmine (maxime in comparationibus) plura dedisse, inter quae, prout cuique liberet, rhapsodi eligerent. Horum igitur si quid alicubi factum est, utramque recensionem apparet aeque esse genuinam; contra in omnibus aliis generibus summum una, quae genuina sit, habetur, altera non potest non esse spuria. Unde sequitur non subsistendum in eo, quod Friedlaenderus fecit, ut duplices, quae videantur, eorundem locorum recensiones simpliciter notemus, sed eo esse progrediendum, ut, ubi fieri possit, definiatur: primum, num utramque ab ipso poeta repetere liceat necne; deinde, si non liceat, num sola alterutra an utraque adulterina videatur; denique, si illud, utra.

Hac igitur ratione si in duplicem illam recensionem inquiratur, quam vv. 464—469. 470—477 Friedlaenderus agnoscit, demonstrabimus jam, etiamsi sit duplex recensio, tamen non eos versus, quibus nos supra usi sumus, 464—469, sed potius alteros 470—477 putandos esse spurios; fortasse autem duplicem recensionem hoc loco ne haberi quidem, sed summum vulgarem interpolationem.

Quid enim? Statuit Friedlaenderus, qui vv. 470—477 fecerit, hunc Phoenicem narrasse ab iis, qui a patre starent, vel rationis reddendae causa vel ad poenas retentum esse persolvendas. Ponamus prius illud. Quaeritur jam, utrius delicti illum voluerint rationem reddere. Quod cum muliercula concubuisset? At manifesta res erat, certe pater mala filio imprecatus pro manifesta habuerat (453—456). Ergo, quod de patris parricidio cogitavisset? At consilium animo tantum agitatum unde tandem pater cognoverat[1])? Putemusne igitur potius ad poenas illum dandas retineri? Sed quaeritur iterum, ad utrius maleficii poenas. Stuprine? At hoc pater jam vindicaverat (453—456). Parricidium igitur quod meditatus esset? At ne hoc quidem credibile est, quandoquidem nemo rei conscius videtur fuisse[2]).

Apparet igitur, si de consilio eorum, qui Phoenicem clausum tenuerunt (470—477), recte statuat Friedlaenderus, illud non solum cum vv. 464—469, sed ne cum reliqua quidem narratione (vv. 453—461) convenire, unde sequitur, si versibus 464—469. 470—477 duplex ejusdem loci recensio habeatur, at alienos ab hac parte non superiores existimandos esse, 464—469, sed potius alteros, 470—477.

Fateor tamen de ipso tali consilio vehementer me dubitare. Primum enim, si ad rationem reddendam Phoenicem illi volebant revocare, cur, quaeso, non fecerunt, sed in futurum aliquod tempus quaestionem differre maluerunt[3])? Item si ultimum supplicium de malefico sumere visum erat, cur plus

---

[1]) Consilium nefarium a Phoenice cum aliis non communicatum fuisse et per se unum veri est simile et probari videtur vv. 459—462: *ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ | δήμου θῆκε φάτιν καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων, | ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλεοίμην.*

[2]) vid. ann. [1]).

[3]) vid. 470—477.

novem dies (*εἰνάνυχες* 470, *δεκάτῃ* 474) rem procrastinaverunt? Nam illum vel verberibus caedere vel mutilare vel alia ejusmodi poena [1]) afficere placuisse vix, opinor, serio conjicies. Si vero statuas, quaerimus denuo, quodnam aliud exsequendi, quod homini facere constituerant, exspectaverint tempus. Supersunt quidem praeter illa exsilium, multa, denique ipsa vincula et custodia [2]). Sed in exsilium illos non credibile est ejicere voluisse eum, quem vi domi retinerent. Nec magis multam dicere filio, qui ne sui quidem esset juris, potuisse videtur pater. Quo accedit, quod ne ad multam quidem custodia spectat. Relinquitur, ut ipsa custodia poenas delicti a Phoenice repeti putemus. Sed ne hoc quidem probabile est, quod nimia illa, qua custodiri videmus Phoenicem, diligentia [3]) ipsis, qui custodiebant, vix minus negotii et molestiae exhibebat quam ei, qui custodiebatur. Levari licebat istiusmodi custodiae oneribus vinciendo Phoenice (cf. *E*, 386. 387. 391. *λ*, 293); sed satis habent clausum tenere (475 sq.) ipsique (suas res negligere atque adeo) vigilandi labore fatigari malunt quam dolorem afferre malefico. Quocunque igitur te vertis, haeres.

Rursus quid est tandem causae, quin in custodiendo Phoenice id ipsum agere potuerint amici et propinqui, ne exsulatum iret adolescentulus praeter patrem omnibus carus? Habent quidem, non nego, vi facta retentio et non dissimulata custodia (475—476. 471—473) importuni aliquid et rustici, sed illius aetatis mores nonne et ipsi minus culti et politi erant? Quod si hoc ferimus, alterum ne offensionem quidem habet, quod vim noctu adhibendam, usque dum ipsum Phoenicem propositi poenituisset, iidem jam, quantum licebat, comitate temperarunt, itaque interdiu et precibus blandis usi sunt et conviviorum hilaritate animum illius a tristitia studuerunt avocare; immo patet hoc quidem rationibus eorum plane conveniens fuisse. Neque enim cum Friedlaendero negligendum est, de custodia vv. 470—477 non dici nisi nocturna. Quae quum ita sint, equidem non modo duplicem recensionem, sed ne vulgarem quidem interpolationem hoc loco haberi affirmaverim, quamquam potuisse quidem fieri facile concedo, ut primus auctor versibus 464—469 contentus esset, alius nescio quis ne nocturnae quidem fugae locum relinquendum fuisse ratus vv. 470—477 adderet. Sed de hac re utcunque statueris, illud tenendum, si alteruter locus suspectus sit, solum esse posteriorem (470—477).

Jam quae exemptis, quos spurios censuimus, locis de vv. 434—605 restant, sexaginta versus de centum septuaginta duobus, et coeunt inter se facillime et totum quiddam efficiunt, quod praeclaris Ulyssis et Achillis orationibus virtute poetica vix cedat. Etenim constat haec Phoenicis oratio tribus partibus (434—446. 447—448 et 479—495. 496—523). Quarum in prima senex sine alumno dilectissimo, cui Peleus comitem et magistrum adjunxerit, nullo se pacto in Troade remansurum versibus gravitatis paene Vergilianae plenis asseverat. Deinde jam ad ipsius temporis, quo adolescentulus ad Peleum supplex pervenerit, delapsus recordationem et hujus in se velut patris amorem et sua de educando parvulo Achille merita commemorat (447—448. 479—495); in quibus inprimis laborum descriptio, quos in puero muliebri sibi cura

[1]) v. Friedreich. *die realien in der Iliade und Odyssee*, p. 429.

[2]) ibid.

[3]) *εἰνάνυχες δέ μοι ἀμφ' αὐτῷ παρὰ νύκτας ἴαυον· | οἳ μὲν ἀμειβόμενοι φυλακὰς ἔχον, οὐδέ ποτ' ἔσβη | πῦρ, ἕτερον μὲν ὑπ' αἰθούσῃ εὐερκέος αὐλῆς, | ἄλλο δ' ἐνὶ προδόμῳ, πρόσθεν θαλάμοιο θυράων* υ. 470 sqq.

nutriendo exanclaverit (486—491), nativa insignis est simplicitate. His igitur ad molliendum Achillis animum interpositis et ipse pro legato Agamemnonis causam agit (496 sqq.), sic quidem, ut, quum Achilles, quominus illi placaretur, recusaverit, etiam atque etiam a nimia eum pertinacia dehortetur. Monet igitur vel deos ab iis, qui quid deliquerint, se placari pati, monet sanctas esse eorum preces, qui injuriarum supplices petant veniam, spretarumque docet ipsos deos exsistere vindices. Postremo (515 sqq.) singulis honorificentissimae satisfactionis partibus summatim enumeratis ab ipsorum legatorum et dignitate et, qua cum Achille conjuncti sint, necessitudine rogationem commendat.

Addenda his pauca sunt propter Nitzschium, qui quum vv. 449—478 et 524—556. 573—605 patienter ferat, idem vv. 502—514 judicat spurios [1]). Fluxit hoc judicium magnam partem ex miro errore, cujus ne temere arguere videar virum de Homero optime meritum, ipsa illius apponam verba: ‚*Die in Agamemnons unächter ausführung (T,* 95—133*) charakterisirte Ate erinnert daneben an eine kürzere eingelöthete stelle von ihr und den Litae in den beweglichen zureden des Phoenix ι,* 502—14. *Diese plastik aus reflexion passt dort wenig zu der b e r e i t s a u s g e s p r o c h e n e n schlichten erinnerung an die versöhnlichkeit der götter, sie motivirt für den einfachen Phoenix zu fein und zu tief. scheint sich das unpopuläre des inhalts doch auch dadurch bemerklich zu machen, dass in den mehreren späteren anführungen der verse v o n d e r v e r s ö h n l i c h k e i t d e r g ö t t e r jene folgenden nicht mit citirt werden. man hatte sie gewiss in seinem text, aber sie waren nicht fasslich genug, dem populären gebrauch nicht genehm.*‘

Putabat igitur clarissimus interpres Homeri agi illis versibus de placabilibus deorum animis, qua eadem de re jam dictum esse videbat vv. praegressis (497—501); censebatque, id quidem recte, non ferendum esse, quod una eademque sententia enunciaretur bis, primum simpliciter et proprie, deinde allegorice nec sine quodam elocutionis apparatu. Atqui ipsa ea opinione nihil falsius. Neque enim de placabilitate deorum his versibus Phoenix loquitur, quin etiam ne de diis ipsis universe, ad quos nihil spectat nisi *fortasse* quattuor verba *καί τε χλύον εὐξαμένοιο* v. 509, si haec cum Lehrsio [2]) mavis quam cum Faesio (ad l.) interpretari; sed de solis Precibus ille dicit, nec vero harum de placabilitate, sed sanctitate, nec de quarumlibet Precum sanctitate, sed earum tantum, quae *Ἄτην*, Scelus, sequantur (504 sqq.) corrigentes, quae illa auctore peccata sunt (507; ubi ad *βλάπτουσ'* attende), h. e. earum precum, quibus quis injuriae insolentia animi illatae postea, ubi poenituerit delicti, ab altero petat veniam [3]). Quas qui revereatur Preces, eum bene sibi consulere ait (508—9), contra qui repudiet, ei poenas nimiae superbiae et pertinaciae solvendas esse; jam enim ad psum accedere *Ἄτην* (i. e. hoc loco deam mentes hominum occaecantem ad peccandumque instigantem) et, ut scelus in se admittat mox luendum, impellere (510—512). Patet igitur, quum in vv. 502—514 longe alia insit sententia, atque in praecedentibus 497—501, minime his illos subjici otiose; patet item, qui placabilitatis deorum testibus utuntur vv. 497—501, iis ne licuisse quidem una cum his apponere insequentes, qui ad eam rem omnino non spectarent. Jam hoc everso argumento quod de Nitzschii disputatione restat,

---

[1]) sagenpoesie I, p. 129.

[2]) populäre aufsätze aus dem alterthum. Leipzig. Teubner 1856 p. 225 ann. ‚509—götter‘. De praecedentibus ‚*die stelle Il. I,* 502—512 *geht blos auf fehl der menschen gegen die götter*‘ Lehrsio non assentior.

[3]) cf. scholl. AD ad v. 502. Heynii not. ad 498—508 (503) ejusdemque observ. ad 498—499 V p. 642. Faesius ad 502.

nemo non videt esse levius. Addit enim subtilius, quo Phoenix utatur, disserendi genus non satis congruere Phoenicis ingenio. Recte, si ad vivum resecamus, sed ejusmodi offensioni quis multum tribuere velit? Nam summa sententiae est ipsum Jovem (511) supplicum jura tueri ab iisque, qui illorum spernant preces, superbiae repetere poenas. Atqui haec simplicia sunt et plana; modi vero ac rationis, qua poenae dentur, expositio et omne allegoricum dicendi genus, ut alia multa, velut epithetorum ornantium in heroum orationibus usus (cf. etiam *Ω,* 527 sqq.), non tam ejus, quem loquentem facit, quam ipsius sunt poetae. Ceterum allegoriae praeterea exempla exstant *Δ,* 442 sq. *T,* 92 sq.

Progrediamur ad eos versus, qui jam G. Hermanno videntur suspecti fuisse[1]). Nam de reditu in patriam posteaquam Achilles jam inde a v. 356 diu multumque verba fecit, deinde Phoenix ejus consilii rationem habuit vv. 434—446, postremo iterum Achilles ita rem tetigit, ut, discederetne an maneret, postridie prima luce cum Phoenice se deliberaturum diceret 618—619: idem rursus paucissimis interjectis vv. 650—655 ea a legatis jubet renunciari, quae sensu carent, nisi redeundi consilium non labefactatum (618—619), sed omnino plane abjectum statuimus: non prius se ad certamen descensurum, quam Hector incensis navibus inter caedem Graecorum usque ad Myrmidonum castra pervenerit; tum illi, quantocunque flagret proeliandi ardore, a pugna fore desistendum. Cave enim haec ita interpreteris, ut Achilles dicat: *si* in Troade manserit, non prius tamen se dimicaturum, quam ipsius castra in discrimen adducta sint; id quod nescio an cuipiam in mentem venturum sit, qui infra postquam Ulysses discessum ab Achille denunciatum esse retulit (682 sqq.), Diomedem meminerit sic loquentem a poeta induci: *ἀλλ' ἤ τοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἴῃσιν | ἤ κε μένῃ· τότε δ' αὖτε μαχήσεται ὁππότε κέν μιν | θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγῃ καὶ θεὸς ὄρσῃ* (701—703). Quorum postrema *τότε — ὄρσῃ* perspicuum est non aliter posse intelligi nisi: *Si* vero manserit, tum iterum pugnabit e. q. s. Verum cur hoc loco ita loqui licebat? Licebat, opinor, ideo quod antea dictum erat *ἤ μεν ἴῃσιν ἤ κε μένῃ,* e quibus istud *‚si manserit‘* facile subaudiebatur. At ante vv. 650 sqq. simile praecedit nihil. Quod quum hi versus illis comparari nequeant, apparet rem ad id quod scripsimus redire, ut putandus sit Achilles ex quo v. 618 sq. pronunciarit superiorem sententiam prorsus mutasse et jam manere in Troade statutum deliberatumque cum animo habere, quamquam modo de ea re eidem postridie demum deliberare consiliumque capere visum fuerit (618 sq.).

Patet autem hanc subitam voluntatis mutationem consiliique capiendi accelerationem maxime idcirco permiras accidere, quod ultro sunt factae et plane imprudentibus nobis. Neque enim quisquam interea Achillem sollicitavit, ut hoc potissimum, mansurusne esset an abiturus, jam tunc definiret; nemo eum, etiamsi tunc opem ferre nollet, at futuri certe spem auxilii ostendere jussit. Incidit igitur ille in istiusmodi responsum prorsus improviso. Quid? quod idem vel sibi ipse parum conscius videtur esse, quam non haec novissima vox cum eo concinat, quod Phoenici modo dixit. Nam ut ullam mutatae mentis significationem verbis suis adspergat, tantum abest, ut ne hoc quidem, mansurum se esse, enunciet ipsum, sed plane ita loquatur, tanquam de relinquendo exercitu nunquam cogitaverit. An de industria consilii mutationem ab eo dissimulari putemus, quod nimiam animi inconstantiam fateri eum pudeat? Sed primum licebat iis verbis

---

[1]) Orphic. p. 687: *‚Quamquam in hac re vehementer dissentio a Schneidero, qui suam sententiam in praefatione ad Orphei Argonautica aperuit. Veluti quum decimum librum Iliadis fetum exsuccum et exsanguem ingenii languidi esse contendit, nihil in septimo, nihil in octavo, non in fine noni, non in oblivioso Achille haerens.‘*

uti, quibus pudori satis parceretur: scitote igitur, mansurum me esse, sed nullo cum commodo Graecorum, neque enim prius e. q. s. vv. 650—655. Deinde, ut Achillem pudeat confessionis, at poetam non poterat pudere sive sententiam subito mutatam (cf. 357 sqq. 393 sqq.) sive consilii capiendi accelerationem (cf. 618 sq.) paucis excusare vel certe aliqua ipsius rei factae testificatione auditorum admirationi occurrere. Sed hic quoque de responso prorsus inopinato silet.

Accedit huc, quod iisdem versibus 650—655 efficitur, ut jam sine ulla causa apud Achillem Phoenix remaneat. Cur enim hunc ille retinebat? Nempe, ut is, si iterum re postridie perpensa in proposito perstare placuisset, sine mora navem secum conscenderet (618 sq. cf. 427—429. 434—446). Atqui, si genuini sunt vv. 650—655, illud discedendi consilium, antequam legati abeunt, ab Achille abjectum est. Cur igitur tamen Phoenix remanet nec potius cum illis in Graecorum castra redit? Dicesne vereri eum Agamemnonis reprehensionem, quod in Achillis partes se traduci passus sit? Sed suppeditas sic de tuo, quod poetae erat indicandum. Ut tamen largiar, vel sic nihil impedit, quominus, dum Ulysses et Ajax cum praeconibus (170. 689) in principum concilium redeant (89 sqq. 628. 669—671. 693. 695—713), ipse in suum tentorium cubitum se conferat. Nam Agamemnonis contubernalis sine dubio non magis est quam reliqui proceres, qui tunc apud illum congregati sunt (v. 712 sq.). Nec vero Achillis contubernalis videtur esse, qui et in concilio principum affuerit (168 cf. 89 sqq.) et cui apud Achillem lectus non paratus sit, sed hujus demum jussu tunc sternatur, ‚quasi antea alibi cubare solitus fuerit' (620 sqq. 658—661 cf. 663. 666 [1]). Nec plus proficias, si eum apud Achillem pernoctare ideo dicas, quia in posterum ejus partes sit secuturus; id quod, quominus porro idem suo utatur tabernaculo, minime obstat. Quamquam vel hoc inutile est ponere, quia poeta, si id voluisset, non debebat silentio praeterire. Verum is de Phoenice apud Achillem remanente, quamquam cur remaneat nihil jam est causae, plane sic narrat vv. 658—662, tanquam post ea, quae praegressa sint, nihil aliud exspectetur, hoc est, tanquam consiliorum Achillis inter 618 sq. et 658 nulla inciderit mutatio, quae incidit maxima.

Videamus jam, quae ex his omnibus non potest non oriri suspicio num forte legatorum relatione confirmetur. Sed quaerendum est prius, quid ii, si vv. 650—655 ipsius sint poetae, renunciare debeant. Nam, ut nunc est, Achillis responsa parum sibi constant. Qui supra (308—429) quum alia multa renunciari jubebat, tum ad patriam se postridie vela daturum eundemque reliquis ut suum exemplum sequerentur suadere. Atque in hoc responso etiam post Phoenicis orationem perstat, cui quum dicit *οὗτοι δ' ἀγγελέουσι* (v. 617), illa ipsa intelligit, quae antea mandaverit. Quod addit, redeantne an maneant, id est, utrum quod in animo habuerit perficiant necne, iterum se prima luce postridie cum Phoenice deliberaturum, hoc non tam reliquis legatis videtur dictum velle quam soli illi, quem in suas traxerit partes [2]). Quare, quamquam vel sic legatis, si libuerit, licebit etiam de labante Achillis consilio discedendi referre, necesse tamen ex poetae ratione non est, modo ne ita loquantur, quasi Achillem domum abiturum esse iis prorsus persuasum sit. Utuntur autem re vera ambiguae potestatis voc. *ἠπείλησεν* (v. 682), quod non temere posuisse

[1]) cf. Schoemannus de reticentia Homeri (in ind. schol. univ. Gryphisv. a. 1853—1854) p. 15.

[2]) Verba sunt: *οὗτοι δ' ἀγγελέουσι, σὺ δ' αὐτόθι λέξεο μίμνων | εὐνῇ ἔνι μαλακῇ· ἅμα δ' ἠοῖ φαινομένηφιν | φρασσόμεθ' ἤ κε νεώμεθ' ἐφ' ἡμέτερ' ἤ κε μένωμεν.*

poetam Diomedis verba documento sunt: *ἀλλ' ἤ τοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἴῃσιν ἤ κε μένῃ* (v. 701 sq.). Jam vero quod vv. 650—655 renunciari Achilles jubet, ab iis, quae idem supra de profectione sua dixit quaeque inde pendent (417—420), diversissimum est ac ne cum vv. 618—619 quidem convenit, quibus utrum abiturus esset an mansurus in medio reliquerit Achilles, sed unum in eum cadit, cui certum sit in Troade manere.

Intelligitur autem, si ab illis non solum repulsam se tulisse summatim indicari, sed etiam singula responsorum Achillis capita commemorari placuerit, inprimis ejus responsi rationem habendam fore, quocum Achilles eos dimiserit (650—655). Nam si plura deinceps inter se repugnantia vel disputamus vel jubemus, posterius quidque, ut opinor, ratum esse volumus, superiora quaeque irrita. Jam quid infra (677 sqq.), qui legationem renunciat, Ulysses? Illud ipsum posterius responsum plane reticet, refert de solo priore (308—429), de hoc autem accuratissime: Non deponere Achillem iram, sed Agamemnonem conditionesque ejus aspernari ipsumque Graecorum saluti consulere jubere (678 sq. 680 sq. cf. 346 sq. 423—425); denunciasse (adeo) in posterum diem discessum suum reliquisque se suadere dixisse ut et ipsi domum abeant; neque enim jam Troja Graecos esse potituros (684 sqq. cf. 356 sqq. 417 sqq.). Continentur his revera superioris responsi summae, si ea excipimus, quibus Achilles contumeliam acceptam conquestus est (316—343. 367—370) et perfidiae impudentiae dementiae Agamemnonem incusavit (344 sq. 370—377). Quorum quod mentionem non facit Ulysses verecundia eum duci patet. At vero in iis, quae refert, omni mutatae postea sententiae commemoratione omissa quid, quaeso, sibi volunt: *καὶ δ' ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἔφη παραμυθήσασθαι | οἴκαδ' ἀποπλείειν, ἐπεὶ οὐκέτι δήετε τέκμωρ | Ἰλίου αἰπεινῆς· μάλα γάρ ἑθεν εὐρύοπα Ζεύς | χεῖρα ἑὴν ὑπερέσχε, τεθαρσήκασι δὲ λαοί.* (684—687)? Quae nullius momenti sunt, postquam ipse Achilles de relinquendo exercitu se non jam cogitare vv. 650—655 significavit. Nihilominus haec diligenter renunciat, illud, quod multo majoris est momenti, quod utique debet renunciare, tacet[1])!

Demonstrabimus jam, ne quid neglexisse videamur, frustra laborasse veteres certe — nam recentiores rem vix tangunt[2]) — ut Ulyssem minora renunciantem, potiora reticentem excusarent. Etenim advertit haec res jam *ἐνστατικοὺς* Alexandrinos[3]); qui quamquam saepenumero in otiosas et ineptas quaestiunculas inciderunt, in illa tamen Ulyssis relatione non injuria haeserunt; modo ne *λυτικοὶ* operam perdidissent! At sunt quas homines acutuli attulerunt excusationes longe plurimae absurdae et pueriles, falsae ad unam omnes. Ac latissime quidem patet haec ratio, ut Ulyssem dicant sola ea sibi renuncianda

---

[1]) Nolo in eandem partem uti praecedentibus vv. 682 sq., quia propter legatorum unum, Phoenicem, ab Achille apud se retentum id quidem non licebat plane silentio praeterire, Achillem initio reditum in patriam animo agitasse. At vidimus hoc ipsum, quod abjecto ab illo discedendi consilio nihilominus Phoenix apud eum remansit, perperam a poeta esse institutum.

[2]) Heynius (observ. ad v. 678. V, p. 686) quibus gravissimam offensionem amovere studet („*Quis*, inquit, *a poeta postulet, ut singula iterum accurate repetita et recocta apponat, quae nunc per saturam memorare satis erat!*") iis nihil docet nisi ipsi statum causae parum cognitum fuisse. Multo rectius judicabant, quos ille irridet, *ἐνστατικοί* (apud Porphyrium, v. schol. B ad v. 688): *προεβλήθη οὖν, πῶς τοῦ Ἀχιλλέως τοῖς πρὸς αὐτὸν ἐλθοῦσι πρέσβεσι ταύτην δεδωκότος ἀπόφασιν ‚οὐ γὰρ πρὶν — νῆας ἱκέσθαι· ἀμφὶ δέ τοι — σχήσεσθαι δίω'* (650—655) *Ὀδυσσεὺς ἐρωτώμενος τὰ περὶ τῆς πρεσβείας τοῦτο μὲν οὔ φησιν, ἀλλὰ τὸ ‚αὐτὸς δ' ἠπείλησεν ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι νῆας ἐυσσέλμους ἅλαδ' ἑλκέμεν ἀμφιελίσσας'· παραπρεσβείας γάρ ἐστι τὸ μὴ τἀληθῆ ἀπαγγέλλειν.*

[3]) v. schol. B ad 688. cf. Lehrs. Arist. p. 200—229. Wolfii Proleg. p. CXCV.

putare, quae ipsi Achilles responderit (308—429), Ajaci permittendam relationem eorum, quae huic responsa sint (600—605); referre igitur recte de solis vv. 308—429, neque enim posterius responsum (650—655) illi datum esse, sed Ajaci (644 sq.): scholl. L ad 681 *ἀλλ' — ἀγγέλλει.* ALV ad 688 *ἄλλως τε — λοιπούς*. schol. Porphyrii, qui idem in aliis quibusdam (*τί οὖν ἔδει — μετὰ ταῦτα ἔφη* et *διὸ ἐπήγαγεν — πρὸς αὐτούς*) egregie hariolatur, (B) ad 688. Eustath. p. 783, 13—15. *Ἰστέον — ἤκουσεν.* Quasi vero, quae aut ad Ulyssis aut ad Ajacis orationem Achilles responderat, soli aut illa Ulyssi aut haec Ajaci dicta sint, non universis, quorum nomine uterque verba fecerat, legatis; nec ab Agamemnone Ulysses vv. 673—75 jubeatur pro omnibus, qui missi erant, legationem renuntiare. Deinde, si verum sit, quod venditant, quamquam inepte excogitatum est, quasi non nova statim quaestio exsistat, cur jam ne Ajax quidem responsum sibi datum referat. Viderunt id quidem homines ipsi, iidemque adeo solverunt difficultatem. At quomodo solvunt! Tacere Ajacem [1]), quod propter inconstantiam Achillis voci ejus (650—55) nihil tribuat (Eust. 783, 18—20. *τυχὸν δὲ — καταγινώσκων αὐτοῦ*), vel aegre ferat ejusdem pervicaciam (ibid. l. 21—22. *καὶ ἄλλως δὲ σιγᾷ ὁ Αἴας, οἷα βαρυνθεὶς ἐπὶ τῷ Ἀχιλλεῖ, διὸ καὶ ἐν τῇ πρεσβείᾳ οὐ πολλὰ ἐλάλησεν*), vel stomachetur, quod quis eventus esset legationis non se priorem sed Ulyssem Agamemno interrogaverit (ibid. l. 22—23. *ἴσως δὲ — ἐπανελθεῖν*); vel quia Ulyssi succenseat, quod is, quum deberet dicere: *εἰσὶ καὶ οἵδε εἰπεῖν, ἅπερ ἐξ Ἀχιλλέως ἤκουσαν,* potius *εἰσὶ καὶ οἵδε τάδ' εἰπέμεν* dixerit, ‚*ὃ δή*', ut bonus episcopus addit, ‚*μυκτῆρά τινα ἔχει ὡς τοῦ Αἴαντος μὴ ἔχοντός τι ἄλλο παρὰ ταῦτα εἰπεῖν*' (ibid. 23—26, *ἤδη δέ που κτέ*). Talia quidem congerere non nimis difficile erat; sunt enim mera commenta et nugae ex parte admodum ridiculae. Poetam, si quid vel istorum vel similium intelligi voluerit, verbis id aliquo modo debuisse indicare hoc ipsum documento est, quod inter tam varias rationes datur optio.

Pergamus ad duas alias excusationes non minus futiles. Una est eorum, qui Ulyssem posterius Achillis responsum reticere dicunt invidia incensum, quod Ajax se ipso plus ab Achille impetraverit (schol. L ad 681 *ἀνακόπτει — κατορθώσαντος*· Eust. p. 783, 15—17 *οἷα καὶ — πειθώ* cf. scholl. BLV ad 650); altera qui utuntur, eundem hoc agere statuunt, ne alieni spe auxilii allata vel Graeci segnius dimicent vel Agamemno minus acri intentaque cura ad salutem eorum incumbat (schol. A post. ad 680. *τὸ δὲ τελευταῖον — βοηθεῖν*. schol. L ad 681 *ἢ ἵνα — πολεμήσωσιν* cf. Eust. p. 783, 17—18. *ὁ Αἴας δέ — ἀγωνίσωνται*. scholl. DL ad 689. scholl. BL ad 649). Quibus hoc commune est, quod, quum Achilles vv. 650—655 prius se arma capturum negat, quam Hector incensis navibus inter caedem Graecorum usque ad Myrmidonum castra pervenerit, eo spem futurae opis ab illo exercitui opinantur ostendi. Egregium acumen hominum! Patet enim auxilium tum demum futurum, quum tantum non actum fuerit de Graecis, pro nullo esse habendum. Quare nec, qui bene sanus esset, vereri poterat, ne illa tali spe, quae nulla erat, nixi virtutem remitterent Graeci, neque istam talem promissionem jactare licebat Ajaci. Quamquam, etiamsi liceret, inepte tamen in Ulyssem animi tam angusti et pusilli conferremus suspicionem.

Restant jam pauca, quae, etsi non subsunt certi quidam, quales in superioribus deprehendebamus, errores, vana tamen commenta esse vel hoc arguuntur, quod in verbis poetae, quo commendentur, non

---

[1]) De praeconibus v. Eust. p. 783, 32 *οἱ δὲ — λαλήσωσιν*; et paulo ante *οἱ κήρυκες — ἐλάλησαν*;

habent. Velut, quum nonnullis posteriore illo responso laetam Graecis spem afferre Achilles videretur, alii silentium Ulyssis ejusdem responsi excusarunt atrocitate (schol. alt. A ad 688 *ὅτι — ἀπεκρίνατο*[1]); cf. Eust. p. 783, c. lin. 20 sqq. *καὶ μᾶλλον — ἐκφροντίσῃ* [*ἐξαφανίσῃ*?] *Ἀχαιοὺς ὁ Ἕκτωρ*). A quibus prope abest eorum ratio, qui Ulyssem omnino ‚*διὰ τὸ ἀηδὲς τῆς ὑποθέσεως*' relationem in breve cogere statuerunt (scholl. ALV ad 688). Quos fugiebat potiora de iis, quae Achilles mandaverat, utique renunciānda fuisse, sive laeta erant et lenia, sive tristia ea et atrocia; cf. v. 626 sq. *ἀπαγγεῖλαι δὲ τάχιστα | χρὴ μῦθον Δαναοῖσι, καὶ οὐκ ἀγαθόν περ ἐόντα.* Atque ut nimia illius vocis, si qua erat, erat autem nulla, verbis mitiganda fuerit atrocitas, at ipsam rem non debebant legati istam quidem ob causam reticere. Relinquitur post tot infelicissimos conatus una, quae melioris notae sit, excusatio; eam dico, quam multis aliis enumeratis, cur ne Ajax quidem alterum Achillis responsum referat; postremo subjicit Eustathius: tacere illum, quod id certe, quo summa contineretur, recte jam ab Ulysse sit indicatum, conditiones Agamemnonis ab Achille repudiari (p. 783, 26 sqq. *ἐκεῖνο δὲ — ἐν ὀλίγῳ τὸ πᾶν*). Id quod acciperemus, si omnino Ajacis esset Ulyssis relationem supplere. Sed monendum fuit jam supra renunciari ab Ulysse Achillis responsa omnium legatorum nomine; quapropter quae referenda erant, ea ab hoc uno referri oportebat omnia.

Apparebit jam, ut opinor, quod frustra veteres vires ingenii acerrime intenderunt ut Ulyssis silentium excusarent, idcirco factum esse, quia excusari illud omnino nequeat. Quod quum ita sit, nisi forte statuere malumus id, in quo nemo non haeret, vel acumen fugisse poetae acutissimi, vel ferendum visum esse elegantissimo, consequens est, ut conjiciamus aut de Ulyssis relatione vel casu excidisse vel consulto deleta esse quaedam, quibus ille de posteriore Achillis responso renunciaret, aut — hoc ipsum a carmine primum abfuisse. Atqui de industria deleri vix potuerunt, quae suo loco rectissime se haberent. Nec vero magis probabiliter casu excidisse suspicaremur, quae ne in antiquissimis quidem Homeri editionibus reperta fuisse ipsae illae, quas silentium Ulyssis excitavit, Alexandrinorum disputationes arguunt. Patet enim ad singulas illas editiones condendas aut multorum rhapsodorum ministeriis aut conjuncta plurium Homeridarum[2]) opera utendum fuisse. Quibus ne ipsis quidem notum esse potuerat, quod, quum suspicione vacaret, tamen in antiquissimas illas editiones non receptum esset. Atqui quum nunquam, usque dum hae editiones confectae sunt, vel studia Homerica vel declamationes rhapsodorum cessaverint, num credibile est, si quid genuinum esset et tralaticium, hujus memoriam tam plane obliterari potuisse, ut aut omnes aut certe plerique ignorarent ii, qui vel ad unam illarum editionum condendam adhiberentur, nedum qui ad universas? Itaque quae Alexandrini non legerunt, ea ne affuisse quidem antea conjiciemus. Contra ut a posteriore manu vv. 650—655 additos putaremus, vel alia eaque satis gravia suadebant: primum nimia illa Achillis inconstantia, deinde mira sive ejusdem, sive poetae de causis mutatae sententiae atque adeo de ipsa re facta silentium, denique Phoenix sine ulla ratione apud Achillem remanens. Quibus nunc

---

[1]) In praegressis legendum videtur: *ζητεῖται διὰ τί μετὰ τὴν πρὸς αὐτὸν τὴν πρὸς Αἴαντα Ἀχιλλέως ἀπόκρισιν οὐ λέγει.* In Porphyrii scholio (B ad 688) *ἐπικρίνειν* (lin. 25) non intelligo. an *ἀποκρίνεσθαι* vel *ἀποκρίνασθαι*?

[2]) Homeridas non solum Chios illos intelligo, sed omnino quarumlibet gentium Homericarum sodales; quarum gentium magnum fuisse numerum acutissime demonstravit Sengebuschius in Hom. Dissert. post. p. 44 sqq.

addere licet, quod, ut Phoenix, ita ne legati quidem posterius illud responsum videantur novisse. Quae turbae quod omnes uno eodemque loco concientur, quis fortuito factum esse credat? Immo patebit istos sex versiculos (650—655) primum a carmine abfuisse. Quod si statuimus, omnia illa jam rectissime se habent. Nam primum nulla jam est nimia Achillis inconstantia, qui in eo perstet, quod facturum se esse vv. 618—619 indicavit. Deinde non jam mirum est, quod de causis mutatae voluntatis poeta vv. 650—655 nihil subjicit; id quod ne poterat quidem facere, quia voluntas omnino mutata non erat, nec ipse ille hos versus posuerat. Neque magis Ulysses poterat responsum renuntiare, quod datum non erat. Denique illud quoque recte fit, quod Phoenix apud Achillem remanet, neque enim ex quo inter eum et Ulyssem ita convenit (618 sq. cf 427—429. 434—446), rerum conditio facta est alia. Quod si recte vv. 650—655 insiticios censemus, sequitur *ἀγγελίην* v. 649 jam ad solum superius responsum (308—429) spectare, quod Achilles uno verbo significare satis habet, perinde ac v. 617 *οὗτοι δ' ἀγγελέουσι*, v. 422 *ἀγγελίην ἀπόφασθε* dixerat, summa ex iis, quae plus centum versibus (308—420) effuderat, coacta nulla. Nec fugit me quidem jam uno versu 649 abruptius orationem illius finiri, sed hoc incommodum quam nihil est ad ea, quae versibus 650—655 afferri ostendimus? Nec vero caret res excusatione. Nam supra jam legatos abire et responsum suum renunciare Achilles jussit, primum 421—426, deinde iterum tectius quidem 617 (—619). Idem quam celerrime eos abire cupit: 620—622, neque id Ajacem videtur praeterire: 622 sq. 625—628 cl. 620—622. Poterat igitur hoc loco paucissimis defungi. Quo accedit, quod ipsa brevioris clausulae asperitas *παρίσῳ*, quod inest, *ἔρχεσθε — ἀπόφασθε* mitigatur. Denique ut omnis scrupulus ex animo evellatur, ad amussim versibus 644—649 respondent *T*, 270—275.

I, 643. *Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς·*
Αἶαν διογενὲς Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν,
πάντα τί μοι κατὰ θυμὸν ἐείσαο μυθήσασθαι·
ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνων
μνήσομαι, ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν
Ἀτρεΐδης ὡς εἴ τιν' ἀτίμητον μετανάστην.
ἀλλ' ὑμεῖς ἔρχεσθε καὶ ἀγγελίην ἀπόφασθε.
656. *ὣς ἔφαθ', οἳ δὲ ἕκαστος κτέ.*

T, 268. — — — — — — *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς*
ἀνστὰς Ἀργείοισι φιλοπτολέμοισι μετηύδα·

Ζεῦ πάτερ, ἦ μεγάλας ἄτας ἄνδρεσσι δίδωσθα.
οὐκ ἂν δή ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσιν
Ἀτρεΐδης ὤρινε διαμπερές, οὐδέ κε κούρην
ἦγεν ἐμεῦ ἀέκοντος ἀμήχανος· ἀλλά ποθι Ζεὺς
ἤθελ' Ἀχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι.
νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα.
ὣς ἄρ' ἐφώνησεν κτέ.

Juvat jam paucis explicare, si recte vv. 650—655 insiticios esse statuamus, quantum eo illorum rationi inferatur vulnus, qui Nitzschio duce et propugnatore Iliadem epopoeiam esse defendunt summa quadam eaque tragici generis sententia adstrictam. Nam quum poenas nimiae pertinaciae pendi ab Achille velint dilectissimi amici morte, is autem pereat, quod non ipse Achilles Graecis laborantibus succurrerit, sed illum auxilio miserit solum: hujus quidem rei in eo positam esse docet Nitzschius causam, quod in posteriore illo suo responso (IX, 650—655) Achilles vel invito sibi perstandum esse putaverit. Sic enim interpretatur hunc, quem per se longe aliter accipere licet[1]), locum: *ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν·*

[1]) *ἤ τοι ἔφην γε* est *quamquam putabam* cf. Naegelsbach. anm. z. Il. ed. I. p. 186. ed. II, p. 245 sq.

οὐδ' ἄρα πως ἦν | ἀσπερχὲς κεχολῶσθαι ἐνὶ φρεσίν· ἦ τοι ἔφην γε | οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ | νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀυτή τε πτόλεμός τε. | τύνη δ' ὤμοιιν μὲν ἐμὰ κλυτὰ τεύχεα δῦθι, | ἄρχε δὲ Μυρμιδόνεσσι φιλοπτολέμοισι μάχεσθαι. Π, 60—65. Quibus significare contendit Achillem, nisi ista sua voce (I, 650—55 cf. *ἔφην Π,* 61) prohibeatur, fore, ut non Patroclum in proelium mittat, sed ipse jam ad certamen descendat. Neque injuria tragico generi hoc unice censet convenire, quod, quum tandem animus Achillis ad corrigendam nimiam pertinaciam inclinet, non jam liceat corrigere per superiorem, qua ipse terminum irae suae arroganter statuerit, insolentiam [1]). Jam vero quid de hoc viri ingeniosissimi fiet placito, si isti, quibus omnis haec ratiocinatio nititur, versus l. IX 650 — 655 non ipsius sint poetae sed interpolatoris?

Verumtamen, etiamsi ab hoc plane discedamus, quod causam interitus Patrocli ab illo potissimum Achillis responso (I, 650—655) Nitzschius repetit: tragica quaedam summa sententia nihilo minus Iliadis compositioni suberit, si modo morte sodalis amicissimi, utcunque haec praeparatur, luere Achilles putandus sit illud, quod jus suum ultra, quam fas erat, sit persecutus; hoc est, si rhapsodia IX, qua irrita legatio continetur, in Iliadis, qualis Nitzschio videtur, genuinis numeranda sit partibus. Nam modum quidem excedit Achilles eo ipso, quod, quum Agamemno abunde ei satisfacere velit, preces conditionesque ejus superbe repudiat. At vero aliter rem se habere neque Iliadem, si talis esset epopoeia, qualem eam esse Nitzschius docet, librum IX potuisse primum complecti quum ex aliis quibusdam viri docti pridem collegerunt, tum ex hoc libri XVI loco, quo Achilles ita loquitur, ut legatorum satisfaciendi causa missorum prorsus ignarum eum esse appareat: *τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους | πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων | ἤπια εἰδείη· νῦν δὲ στρατὸν ἀμφιμάχονται* (vv. 71—73 [2])). Jam quomodo Nitzschius suam opinionem tuetur? Concedit haec post librum IX non esse ferenda, sed eadem adulterina dicit, ut tamen in hanc sententiam minus eum levioribus istis, quas apponit, rationibus adductum esse manifestum sit, quam eo ipso, quod, ut modo indicabamus, ejusdem libri XVI versibus 61—63 [3]) ad illum libri IX locum (*οὐ γὰρ πρὶν πολέμοιο μεθήσομαι κτέ,* 650—655) Achillem respicere sibi persuaserat [4]). Quod argumentum nullum esse, quandoquidem verbo *φάναι* (*Π,* 61) saepissime apud Homerum non dicendi, sed putandi potestas subjiciatur, et per se apertum et recte a Schoemanno [5]) monitum est. Attamen favebat adhuc Nitzschio species certe vulgaris significationis. Nunc de medio sublatis *I,* 650—655 ne quo videatur quidem iste l. XVI locus spectare in libro IX amplius exstat. Quo minus dubitare licebit, quin, qui l. XVI composuit, ei liber IX plane ignotus fuerit. Tum vero eidem ne modum quidem migrasse videri poterat Achilles. Modum autem qui non migrasset, is ne poenas quidem ejus rei videri poterat Patrocli morte

---

[1]) sagenpoesie I, p. 181, 252, 261, 239, 273, 222. Collegit locos Koechly, de Iliadis carminibus dissert. III (ind. lect. univ. Turic. 1857) p. 8—9. Adde sagenpoesie p. 223, 250, 254, 258—259, 261, 293.

[2]) Frustra post Nitzschii librum editum Piechowskius, de ironia Iliadis (Mosquae 1856) p. 47 et Baeumlinius zeitschr. f. alt.—wiss. 1857 p. 145—146. Philol. XI, 3 p. 417—419 argumentum illud evertere conati sunt.

[3]) *ἦ τοι ἔφην γε | οὐ πρὶν μηνιθμὸν καταπαυσέμεν, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ | νῆας ἐμὰς ἀφίκηται ἀυτή τε πτόλεμός τε.*

[4]) vid. sagenpoesie p. 181.

[5]) De reticentia Homeri p. 15.

persolvisse. Quae quum ita sint, quid jam, obsecro, supererit de summa ista, quam in Iliade expressam esse Nitzschius aliique volunt, sententia tragica? Quam qui nihilominus primo Iliadis conditori obversatam fuisse velit defendere, ita tantum poterit, ut illum quum alia statuat antiquiora carmina tum ipsum l. XVI summae isti sententiae nihil accomodata in epopoeiam suam recepisse [1]), quamquam idem, ut librum IX unum, ita librum XVI alterum fieri vellet quasi cardinem poematis. Hac autem ratione qui Iliadem conderet, eum, quantumvis reluctemur, fatendum erit non divinum illum, quem Nitzschiani fingunt, poetam fuisse, qui vel aliena quibus uteretur prorsus sua faceret, sed in his certe, quae ex antiquiore poesi adsciceret, intexendis diasceuastae potius partibus quam poetae functum esse.

Ad finem perductis his, quae uberius hactenus exposita sunt, in animo erat quum minores, quos insiticios putarem, locos subjectis brevissime rationibus meis recensere, tum de omni prima parte l. IX maxime illa propter vv. 17 sqq. suspecta quid mihi veri videretur simillimum explicare. Liceat jam circumscripto angustis hujuscemodi libellorum finibus, quo aliquatenus propositum peragatur, illos saltem, quos adulterinos esse statuam, versus indicare. Ac de 23—25, 44, 318—320, 416, 694 novissimo editori Bekkero, de 383—384 Heynio assentior. Concedo idem iisdem vv. 59 et 257—258 rectius abfuturos esse, quamquam abfuisse eos a carmine liquido affirmare non ausim. Judico autem praeterea spurios vv. 63—64 et 327, quibus dubitanter addo 195 et 355. Denique quum Bekkerus v. 616 ejiciat, equidem nescio an praestet v. 615 resecare pro puncto, quod in illius fine est, virgula substituta, ut sententia nascatur haec: Quidquid aliud volueris, postula, hoc a me petere noli, ut de iis quidquam mutem, quae his mandavi renuncianda.

[1]) cf. Schoemannus de reticentia Hom. p. 9.

Addenda et corrigenda.

Pag. 2, 18 l. profecturum p. 2 ann. 2 l. Moriz p. 6, 5 ‚Friedlaenderus' adde: praeeunte Eust. p. 770, 35 sq. p. 7, 18 l. quidem p. 8, 1 l. *Ζεύς* p. 8, 6 l. memoria p. 8, 34 In eandem sententiam disputat G. Grotius hist. Gr. I, 1 p. 116 Meissner. ‚*Obgleich — Althaea*' p. 14, 4 ‚exsecratio — narrationibus' Apud scholl. p. 266, 4 Bekk. *ἀρὰς* pro *ἀρχὰς* legendum esse Munckerus vidit ad Hygini f. 174. cf. Welcker. *griech. trag.* II, 756. p. 15, 2 l. ille p. 15, 5 l. vigente p. 18, 32 l. genus p. 20, 11 ‚delectari' et l. 16 ‚animum': cf. scholl. BL ad 448. p. 24, 29 l. ipsum p. 25 ann. 1 l. quamquam p. 26 lin. ult. l. temere p. 27, 5 post ‚manere.' exciderunt haec: Licet igitur mirari, utrum horum legati sint relaturi. p. 31, 30 Intelligitur jam inversa re *I*, 650—655 ad exemplum vv. *Π* 61—63 ab interpolatore confectos esse.